hizo el rey D. Alfonso II de Aragon á la iglesia de Tortosa en el mes de Abril del año 1195, en la qual se expresa que dicho castillo estaba situado *in montana de tres eris.* Ahora se dice *de tres eres;* puédese conjeturar que llamáron así este sitio por ser el confin de tres señoríos (*a*). Quedóse el rey con el derecho de percibir la mitad de todos sus frutos, deducidos los diezmos para la iglesia. Sin hacer cuenta de esta donacion el rey D. Pedro II dió en 1208 el término de Benifazá con los lugares Valmagraner, Fredes, Rosel y otros adyacentes al noble D. Guillermo de Cervera. Luego que este varon insigne tomó la cogulla en el monasterio de Poblet, dió á aquella casa estos mismos lugares, cuya donacion confirmó el rey Don Jayme I estando en Lérida á 14 de Junio

(*a*) El uso de la voz *herus* por *príncipe* puede verse en un documento publicado por Justo Fontanini (*Append. ad antiquitat. Hortae cap. VI. p. 347.*). No desdice este sentido de la situacion del monasterio, situado en los confines de los reynos de Aragon y Valencia y del principado de Cataluña. *Erus* por *herus* en la significacion de *señor* y de *padre de familias*, se halla en muchos escritores de la buena latinidad, como lo demuestra R. Stephano: de donde se formó *erulus* usado en la misma acepcion, como puede verse en el Glosario de Ducange.

de 1229. La queja que sobre esto podia tener la iglesia de Tortosa, vino á parar en una concordia que hizo con el monasterio de Poblet á 13 de Agosto de 1233, en que se estableció que el abad de Poblet pudiese edificar en Benifazá un monasterio de su órden sin contradiccion por parte de la iglesia. Por Noviembre del mismo año 1233 concedió el rey D. Jayme I su permiso para fundar dicho monasterio, ó mas bien, confirmando á Poblet la donacion de Benifazá, mandó que se fundase allí un monasterio de cistercienses, y que fuese hijo del de Poblet. Tomóse esto con tanto calor, que á fines del año siguiente 1234 se sabe que ya residia el abad D. Juan con su convento en una eminencia llamada de santa Escolástica, vecina al actual monasterio que ya entónces se comenzaba á edificar, y adonde se trasladáron los monges el año 1250. En confirmacion de esto he copiado la donacion que les hizo el rey Don Jayme de una viña en el término de Tortosa á 11 de Diciembre de 1234. Tambien he copiado la escritura que á 11 de Enero de 1237 hizo la reyna Doña Violante, eligiendo para su sepultura el monasterio de Benifazá, *quod*, dice, *dominus rex Jacobus*

vir noster fundavit pariter et construxit. Agradecidos los monges á la liberalidad del fundador, otorgáron un público instrumento firmado del abad Gerardo y de quarenta y tres individuos del monasterio, en que haciendo memoria de los beneficios recibidos de su mano, ofrecen corresponderle con sufragios y oraciones, y hacer en el dia de su muerte los oficios establecidos para el abad (*a*).

Me he detenido en esto para que se vea la equivocacion con que algunos escritores han atribuido la fundacion de este monasterio á la penitencia impuesta al rey Don Jayme I. por haber mandado cortar la lengua al obispo de Gerona D. Fr. Berenguer de Castellbisbal. Porque no habiendo acontecido esto antes del 1245, como diré despues, consta que aquel suceso no pudo tener influxo en la fundacion de esta casa, la qual hizo aquel monarca espontáneamente y por su gran devocion y afecto á la de Poblet. Otra cosa es la conclusion del edificio y la nueva dotacion del monasterio; que esto ciertamente fue efecto de aquel ruidoso acontecimiento, ageno de verdad para unos, y dudoso para otros

(*a*) Existe original este documento de 1.° de Enero 1251 en el archivo real de Barcelona.

así en el tiempo como en la causa de él. Y aunque yo no he hallado aquí los documentos originales que á esto pertenecen; mas hay copia auténtica de todos ellos, de los quales resulta ser esta la serie del hecho. Enojado el rey D. Jayme contra el obispo de Gerona, porque sospechó que habia revelado lo que le comunicó en la confesion sacramental; no contento con desterrarle del reyno, le mandó cortar parte de la lengua. Llegó al papa Inocencio IV la noticia de esta atrocidad, y juntamente una carta del rey en que le pedia la absolucion del delito, y que al mismo tiempo confirmase el destierro del obispo. El papa contestó al rey con fecha de 22 de Junio de 1246, exhortándole á borrar el delito con la penitencia, á desistir del destierro del obispo, y á dar pública satisfaccion de su exceso. Esta carta dicen que trae Odorico Raynaldo (tomo XIII.). Parece que envió el papa con ella á su penitenciario Fr. Desiderio, de la órden de los menores, para que con sus exhortaciones se lograse el efecto deseado. Desempeñó el enviado su comision con tan buen suceso, que á 5 del Agosto siguiente, ya hizo el rey una escritura pública, en que confesó haberse

excedido gravemente en el hecho de la mutilacion de la lengua del obispo; y protestó que pediria perdon al ofendido, y que en órden á su permanencia en estos dominios, y aun en su silla de Gerona, haria lo que dispusiese el papa, y que se sujetaria á su voluntad en órden á la satisfaccion que debia dar para reparacion del mal, que era, ó edificar un hospital, ó completar la abadía de Benifazá, ó el hospital de S. Vicente en Valencia, ó señalar algunas rentas á la iglesia de Gerona. Y para que nadie creyese que estaba enojado contra la órden de predicadores, la qual habia profesado aquel obispo, prometió visitar todos los conventos por donde pasare, y hacer público su afecto en las cortes generales que pensaba convocar, donde tambien mostraria á todos los vasallos su arrepentimiento. Esta protesta dice que hacia á instancias de dicho Fr. Desiderio (a).

Con la misma fecha de 5 de Agosto escribió al papa Inocencio por mano del mismo Fr. Desiderio y de D. Arnaldo de Peralta, pidiéndole con instancias la absolucion. Acaso el papa debió aprovecharse de

(a) V. el Apend. n. XVIII.

esta ocasion para proponer al rey algunos tratados pocos favorables. Lo cierto es que el rey le dice: *et propter hoc factum vobis non placeat quod illa ardua negotia, quae coram nobis dictus frater (Desiderius) proposuit, hac ratione veniant ad effectum.* Tambien le dice que á algunos habian parecido muy ásperas y duras las expresiones de S. S.; pero que él recibia aquella correccion como un favor (*a*). Contestó luego el papa, con fecha de Leon á 22 de Setiembre, año quarto de su pontificado (1246), avisándole de que le enviaba al obispo camerinense y al mismo Fr. Desiderio para que le absolviesen de la excomunion, y le impusiesen penitencia saludable (*b*). Llegáron luego estos enviados á Aragon, y el dia 14 de Octubre del mismo año, juntándose en Lérida con el arzobispo de Tarragona y los obispos de Zaragoza, Urgel, Huesca y Elna, y los barones y nobles del reyno, y otros muchos, compareció el rey D. Jayme; el qual despues de confesar el delito cometido contra el obispo de Gerona, prometió con juramento obedecer á los mandatos de la iglesia, y en penitencia con-

(*a*) V. el Apénd. *n. XIX.* (*b*) V. el Apénd. *n. XX.*

cluir la abadía de Benifazá que habia comenzado, dando ademas á la fábrica de aquella iglesia doscientos marcos de plata, y dotando el monasterio para que pudiese haber en él quarenta monges, no habiendo mantenido hasta entónces sino veinte y dos. Prometió tambien dotar el hospital de san Vicente en Valencia con seiscientos marcos de plata anuales para sustento de algunos sacerdotes; y ademas fundar una capellanía en la iglesia de Gerona. Todo esto consta de la carta del rey al papa, fecha en Lérida á 18 de Octubre del mismo año, y de la absolucion y auto final de este negocio que dieron Felipe, obispo camerinense y el dicho Fr. Desiderio (a).

De todo lo dicho resulta que el hecho de la mutilacion de la lengua fue á los principios del año 1246; y por consiguiente no pudo recaer la ira del rey contra el obispo sobre la sospecha de que revelase sus amores con Doña Teresa Gil de Vidaure, cosa que fue posterior, como era fácil de probar, si fuese este mi principal objeto. Lo mas verosímil es que el rey creyó que el obispo habia descubierto la di-

(a) V. el Apend. n. XXI. y XXII.

vision que meditaba hacer de sus estados entre sus hijos, ló qual ocasionó algunos disturbios; y esto fue en ese año 1246. Pero dexando esto, y volviendo á Benifazá, cumplió el rey D. Jayme lo prometido, concluyendo la fábrica del monasterio, y dotando particularmente la de la iglesia con 1730 morabatines. Dos escrituras hay de esto en 1259 y 1272, cuyas copias van para la coleccion, como tambien las otras en que el monasterio de Poblet puso al de Benifazá en posesion pacífica de todas sus pertenencias.

No se halla en este monasterio noticia alguna de sus abades. Sábese que quando el P. M. Finestres escribia la *historia de Poblet*, se le envió inconsideradamente el catálogo original de los abades de esta casa. Así que para completar su historia copiaré de dicho escritor la serie cronológica de estos prelados, apuntando el año en que comenzáron su gobierno, y notando al pie algun hecho digno de memoria. Es de advertir que estas abadías fuéron perpetuas desde la fundacion hasta el año 1554, en que por evadir los apremios de la curia romana para el pago de bulas, se logró que fuesen trienales, y así duró hasta 1620

en que pasáron á quadrienales, como lo son ahora.

Abades del monasterio de Benifazá.

Principio de su gobierno.

1233. D. Juan.
1241. D. Arnaldo.
1248. D. Guillem de Almenará (*a*).
1250. D. Pedro Juliá (*b*).
1254. D. Berenguer.
1255. D. Arnaldo de Mantesana.
1260. D. Guillem Savartes.
1262. D. Berenguer de Concabella (*c*).
1283. D. Guillem.
1289. D. Pedro Vilarnau.
1294. D. Ramon Bernat.
1300. D. Berenguer de Beltall.

(*a*) Este mudó el monasterio desde la casa de santa Escolástica al sitio actual.

(*b*) A este abad disputáron los Hospitalarios la posesion del lugar de Rosell, que les habia dado el rey D. Jayme. De este litigio y de cómo lo perdió el monasterio, se hace mencion *in VI. Decret. tit. XVII. cap. 3. Abbate sane*; y aun quedó el proverbio: *propter malum consilium perdidit abbas Rosillum.*

(*c*) Puso la primera piedra en la fábrica de la iglesia mayor á 15 de Agosto de 1262.

Principio de su gobierno.

1305. D. Ramon Company.
1311. D. Ponce de Copons (*a*).
1316. D. Bernardo Pallares (*b*).
1347. D. Guillen Lloncs.
1359. D. Pedro Torres.
1379. D. Bernardo Fabregat.
1387. D. Bartolomé de Llardanosa (*c*).
1389. D. Bartolomé Llombart.
1408. D. Pedro Saraxó (*d*).
1413. D. Bernardo Ripoll.
1425. D. Gilberto Dezbrull.
1430. D. Bernardo Llorens.
1468. D. Juan Llorens.
1485. D. Bernardo Llorens.
1518. D. Cosme Juan Daroca.

(*a*) Hizo el aula capitular.

(*b*) Enviáron á este prelado el rey D. Jayme II y el obispo de Valencia á citar y requerir al maestre de Calatrava para que viniese á Valencia á fundar la órden de Montesa, conforme á lo dispuesto por el P. Juan XXII. Fue esto en 1319 y logró que se diese comision al comendador de Alcañiz para que se efectuase la fundacion de dicha órden.

(*c*) En 1389 pasó á ser abad de S. Bernardo de la huerta de Valencia, que ahora es el convento de S. Miguel de los Reyes.

(*d*) A este abad nombró el rey D. Martin capellan de la reyna Doña María de Luna su esposa.

Principio de su gobierno.

1532. D. Gerónimo Sanz (*a*).

Abades trienales.

1554. D. Juan Barberá (*b*).
1579. D. Melchor Barberá.
1583. D. Crisóstomo Carnicer.
1586. D. Juan Gisbert.
1604. D. Jayme Talarn.
1605. D. Felipe Bono (*c*).
1608. D. Andres Cabrera.
1611. D. Pablo Beltran.
1614. D. Andres Cabrera.

(*a*) Era natural de Xátiva, y muy insigne en santidad y literatura. De esto último dexó varias muestras en los libros que imprimió. Lo mas memorable de este abad es que hallándose apremiado por los curiales para el pago de las bulas, trabajó para reducir esta abadía de perpetua en trienal. Logróse la bula á 22 de Mayo de 1555. Sin embargo se anticipó la eleccion del siguiente.

(*b*) Este fue reelegido por ocho trienios consecutivos; y fue el primero elegido diputado eclesiástico en el reyno de Valencia, oficio que solo obtenia el arzobispo.

(*c*) De este prelado es la concordia en que se estableció que el abad de Benifazá tenga silla y distribucion en el coro de Tortosa.

Principio de su gobierno.

1617. D. Pablo Beltran (*a*).

Abades quadrienales.

1620. D. Andres Cabrera.
1624. D. Agustin Valls.
1628. D. Pedro Piquer.
1632. D. Teófilo Beltran.
1636. D. Miguel Font.
1640. D. Agustin Valls.
1644. D. Tomas Capellades.
1648. D. Benito Caldero.
1649. D. Pedro Piquer.
1651. D. Francisco Marqués.
1656. D. Damian Ferrer.
1660. D. Francisco Marqués.
1664. D. Roberto Cavallér.
1667. D. Josef Antolí.
1668. D. Damian Ferrer.
1672. D. Josef Antolí.
1676. D. Damian Ferrer.
1677. D. Gerónimo Corder.

(*a*) Esta fue la última abadía trienal. Erigida luego la congregacion cisterciense de la corona de Aragon, se substituyéron las quadrienales, como se mandaba en la bula de Paulo V.

Principio de su gobierno.

1680. D. Josef Antolí.
1684. D. Agustin Llorens.
1688. D. Josef Domenech.
1692. D. Francisco Castell.
1696. D. Roberto Forner.
1700. D. Jayme Segarra.
1704. D. Gregorio Oliver.
1708. D. Roberto Forner.
1712. D. Edmundo Reverter.
1716. D. Francisco Castell.
1720. D. Josef Lluch.
1724. D. Bernardo García.
1729. D. Tomas Covarsi.
1732. D. Francisco Castell.
1736. D. Vicente Pascual.
1740. D. Plácido Lanuza.
1744. D. Francisco Gonzalez.
1748. D. Manuel Ferrer (*a*).
1752. D. Francisco Gonzalez.
1756. D. Luis Antonio Aiguavives.
1760. D. Manuel Ferrer.
1764. D. Miguel Climent.
1766. D. Luis Antonio Aiguavives.

(*a*) Hasta aquí llega el catálogo del M. Finestres. Los restantes me ha comunicado el P. Fr. Joaquin Chavalera, monge y archivero de Benifazá.

Principio de su gobierno.

1768. D. Roberto Turull.
1772. D. Miguel Sanz.
1776. D. Estéban Ruiz.
1780. D. Jayme Jassá.
1784. D. Juan Bautista Gil.
1788. D. Josef Vilanova.
1792. D. Josef Piera.
1796. D. Fernando Aiguavives.
1800. D. Felipe Vilanova.

Dios te guarde. Benifazá &c.

APENDICE DE DOCUMENTOS.

I.

Historia translationis S. Vincentii levitae et mart. ex Hispaniâ ad Castrense in Galliâ monasterium: auctore Aimoino monacho ord. S. Benedicti.

EX SANCTORALI MS. ECCL. BARCINON.

Brevis admonitio.

Licet hoc opusculum *in actis SS.* post Jac. Brolium Pratensem monach. ediderit Bollandus ad diem XXII Januarii, eumque secutus Mabillonius in *actis SS. ord. S. Bened. saec. IV. part. I.*; illud tamen denuo cudere decrevimus, quandoquidem ex hispano codice, quod hactenus non licuit, describere potuimus; ex sanctorali nempe antiquo eccl. Barcinon. saeculo XIII, ut conjicimus, compilato; ubi per lectiones distinctum est, prout mos ecclesiastici officii requirebat. Ex quo eruitur, peculiare festum de illâ D. Vincentii translatione in hac ecclesiâ habitum; et in illâ eam opinionem à saec. XIII viguisse semper, praedicti martyris corpus in Galliam non in Lusitaniam delatum fuisse. Quamvis autem hanc Aimonii narrationem Cl. Florezius et Riscus suspectam habeant (*Hisp. Sacr. t. VIII. pag. 190. seq. t. XXX. pag. 215.*): id tamen in comperto est, Castri asservari S. Vincentii reliquias; quod à pluribus retrò saeculis et miraculorum splendor, et publica scripta testantur (V. Bolland. *de reliquiis S. Vinc.* §. *III.*). Vitiatam autem inibi lectionem emendavimus saepe, saepius vero retinuimus, ut codici fidem servemus suam, qui in multis accuratior est editis, et locupletior, ut opportunè suis in locis indicabimus.

Epistola Aymoeni (a) monachi ad dompnum abbatem coeterisque sub eo fratribus.

Dignis memoriâ sanctis patribus domno abbati Vernoni, coeterisque sub eo fratribus in pago Albiensi, et monasterio (b) beati Benedicti, quod *Castrum* cognominatur, sub ejus regimine regulari studio Deo comilitantibus, Aymoenus (c) peccator, almi Germani parisiorum praesulis monachorum novissimus, praesentem prosperitatem, eternamque in Christo coronam. Vestrâ, ó amantissimi patres, prudenti, nec non et imitabili simplicitate compertâ, non miror, quod libuit sanctitati vestrae mihi modico tantum injungere negotium, quatinus adventum beati levitae, et martyris Christi Vincentii ad vos, ejusdemque adventus supernae admonitionis causâ, literis mandando posteris futurisque clericis (d) sciendum praeberem. In

(a) *Alii codices*: epistola Aimoini monachi ad domnum Bernonem abbatem, ceterosque sub eo fratres. *Alibi legitur* Heimonis.

(b) Hoc monasterium S. Germani à Pratis anno Domini DCXLVII Robertus, Anselinus et Daniel, tres viri pii et nobiles construxerunt in pago Albigensi, juxta fluvium Agouti sub regulâ S. Benedicti, adjuvante Faustino, strenuo ac praedivite milite, qui monachus factus ecclesiam S. Benedicti à fundamentis magno sumptu aedificavit, et post mortem Roberti secundus monasterii abbas evasit. Eidem loco praefuit anno DCCCLXX Berno abbas undecimus, cui hos libros inscribit Aimoinus. Monasterium in ecclesiam cathedralem erectum est ab Johanne XXII postea à saecularibus canonicis occupatum. *Mabill.*

(c) Hos libros Aimoinus scripsit ex relatione Audaldi monachi; istius translationis adjutoris, *cujus ab ore quae dicuntur accipit* (ex lib. I. cap. 2.). Anno 888 superstitem fuisse, demonstrat Mabillonius. Obiisse V id. Junii constat ex pervetusto Pratensi Necrologio. Diversus est is ab Aimoino, Francicae historiae scriptore, Floriacensi monacho.

(d) *Edit.* Saeculis.

quo etiam illud competenter exigitis (*a*), ut grandia paucis elucidem, seu pro vitando fastidio spatiosa brevi sermone contraham, quo omnibus legentibus hoc opus, Christo favente, probetur acceptius. Id quoque quemadmodum de miraculis ejusdem sancti itinere (*b*), ut penes vos multiplici numerositate exhibitis, tantum, ut ejus inventio ejusque ad vos translatio certa dinoscatur, contingam. Sed quoniam me super hoc quamvis indignum, dignanter tamen aggressi estis, fiat domini pia semper voluntas, ipsiusque sancti et egregii testis consequens pro me ac frequens apud eum oratio. Neque facit me tot, tantisque praeceptoribus digna, licet ab immerito, postulantibus inobedientem reperiri: vestra (*c*) quidquid pro me sanctitate divinam supplicante clementiam: ut quod meritis non praesumo, sanctarum precum sublevatus auxilio, non ego quidem, sed gratia Dei mecum perficere possim. Explicit epistola.

INCIPIT PROLOGUS (*d*).

Ergo quia hactenus quae circa hujus sancti levitae et martyris inventionem, seu corporis repetitionem gesta sunt, fideli stilo Christo duce digessimus: jam (*e*) verò quae restant ipsius translationis et gestorum in eâ miraculorum brevi, quemadmodum coepimus, tractatu sollicitè videamus. Neque enim effugari lectorem, multomagis verò ad ea, quae dicuntur invitari, oportet, qualiter etsi sermo

(*a*) *Edit.* Exigitur.

(*b*) *Edit.* In itinere, vel penes.

(*c*) *Edit.* Vestra quoque pro me.

(*d*) Hic prologus in *actis SS.*, et apud Mabillonium in *actis SS. ordinis S. Benedicti*, extat in principio libri II., quem in locum referendus est.

(*e*) *Edit.* Jam nunc.

incultus exasperat, saltim succintus demulceat. Ideoque omne hoc opus in duo etiam dividere voluimus corpora, licet quantitate exigua. Nobisque donari petimus quidquid praetereuntes (*a*) in hiis excessimus: quod (*b*) multis pauca eligentes, illa prorsus quae fide hac relatione digna inventa habuimus, eis praesentibus qui viderant attestantibus piis (*c*) laboribus studio ipso in loco scribere curavimus.

(*d*) Anno octingentesimo quinquagesimo quinto Incarnationis Domini nostri Jesu Christi, regnante ortodoxo francorum principe Carolo (*); Ludovici (*e*), imperatoris filio, in parte quadam regnorum ipsius, in Aquitaniâ scilicet, et monasterio quod vulguari (*f*) appellatione Conchitas (*g*) vocitatur, Illeberto (*h*) cuidam monacho visio ostensa est, quam coelitus monstratam sequentia declarabunt. Erat igitur idem vir simplex ultra juvenilem aetatem temporis agens, senex moribus, ac sanctae pacientiae studiis eruditus. Abbatum (*i*) etiam monasterium, quem praesertim à tempore sui sacerdotii inianter desideraverat, adeptus, talem se totius religionis praebuerat actibus, qui (*k*) etiam praecedentium hujus vitae patrum sequens vestigia, multis et ipse foret in exemplum. Hic cùm se aliquando post exsolutum vigilia (*l*) debitum sopori dedisset, vox ei divina sic insonuit dicens: frater, vigilas?

(*a*) *Edit.* Praetereunter.

(*b*) *Edit.* Qui de multis pauca legentes.

(*c*) *Edit.* Pii laboris.

(*d*) *Edit.* Incipit liber primus inventionis, sive translationis B. Vincentii, levitae et martyris, quae celebratur VI. kal. Novembris.

(*) Carolo. *Calvo* scilicet.

(*e*) *Edit.* Hluduwici.

(*f*) *Edit.* Vulgari.

(*g*) *Edit.* Conkittas. *MS. Rip.* Okatas.

(*h*) *Edit* HILDEBERTO, *et sic deinceps.*

(*i*) *Edit.* Habitum etiam monasterium.

(*k*) *Edit.* Ut etiam.

(*l*) *Edit.* Vigiliarum.

cui respondit (a): Domine quid me vis (b)? Surge, inquit, vade et egredere Valentiam Hispaniarum; ac perquire extra muros ejusdem civitatis locum sepulturae Vincentii levitae et martyris, cujus corpus ecclesia quae desuper fuit, à paganis ob malignorum civium et circum habitantium pravam conversationem destructa, ibi absque ullo religionis honore nullo (c) excepta matre tellure obstante tegmine ymbre madescit aereo. Nam dignum est, scito, Dominique voluntas, ut dein (d) gloriosus Dei amicus inde diligenter effosus, ad locum transferatur pacis, cultusque legitimi. Quibus edictis (e) mox à conspectu videntis illa coelestis species hujusmodi (f) narrantis unà cum voce subducitur. Qui sopore depulso, et quod viderat vigilanti animo replicans, ad Dei rogandam pronus consurgit clementiam: quatinus per eum cunctorum opifex, quod ostenderat, dignaretur explere.

LECTIO SECUNDA.

Erat (g) alius in eodem monasterio religiosus satis monachus atque sacerdos et conversus (*), Audaldus nomine, spetiali ei familiaritate connexus, aetate ac vitae moribus pene consimilis, cujus ab ore (**), quae dicuntur, et

(a) *Edit.* Respondenti.

(b) *Edit.* Quid me vis facere? Surgens, inquit, vade et aggredere &c.

(c) *Edit.* Nullo obstante tegmine, imbre medescit aethereo.

(d) *Edit.* Idem gloriosus.

(e) *Edit.* Dictis.

(f) *Edit.* Hujusmodi visionem narrantis.

(g) *Edit.* Erat sane alius in eodem monasterio monachus religiosus, aeque sacerdos.

(*) *Conversi* dicebantur olim apud monachos, qui ex saeculari vitâ ad monasticam convertebantur in adultâ aetate. *Mabill.*

(**) Hinc aetatem Aimoini licet agnoscere: uti et ex prolog. lib. 2.

multo etiam ampliora nos in fide accepisse confidimus. Ad hunc primùm (*a*) memoratus compresbyter Illebertus accessit: et quod sibi revelatum fuerat, secretâ allocutione detegens eum in hoc multimodis (*b*) animando socium postulavit: hortatur amicum, praecatur dilectum: Dei sanctique martyris ad futurum solatium repromittit, necnon et pro laboris sudore aeternae repromissionis (*c*) praemium. Quibus vir devotus attenti pectoris archano receptis, confestim verbis favens sodalis, assensum libentissimè praebuit: praesertim cum idem à quodam nobili Hispaniarum (*d*) viro, Bera nomine, frequenter audierit, quod ejusdem sancti levitae et martyris corpus ab eodem loco cultoribus desolato facile in quacumque (*e*) parte à quolibet asportari posset. Convenitque uterque (*f*) eorum animus ad tot terrarum intervalla percurrenda promtissimus, atque ad praeferenda, si qua etiam afforent, impedimenta paratissimus. Itaque Blandino ejusdem loci abbati, reliquisque fratribus suae voluntatis rem patefaciunt: à quibus hoc agendi, seu perficiendi eos oportebat expetere consilium. Processit sanè omnium qui convenerant, communis in hoc validusque animi ardor: quorum scilicet mentes (*g*) illustraverat superna, et aequalis spei perfflaverat laetitia.

LECTIO TERTIA.

Hoc igitur accepto, ardentibus dumtaxat animis, divino, quod (*h*) magis fatendum, consultu, paratis om-

(*a*) *Edit.* Primus.
(*b*) *Edit.* Multis modis.
(*c*) *Edit.* Recompensationis pollicetur praemium.
(*d*) *Edit.* Hispaniensi viro, BERTA nomine.
(*e*) *Edit.* In quamcumque partem.
(*f*) *Edit.* Utriusque animus.
(*g*) *Edit.* Mentes virtus illustraverat.
(*h*) *Edit.* (Quod est magis fatendum) consulto.

nibus exeunt cum duobus tantum famulis, hilares procedentes ad locum et opus sibi coelitus intimatum. Gradientibus autem eis, viam (a) hanc festino tramite, ac celebrantibus, Ildebertus carnis incommodo pressus, assumptum iter, quamquam invitus reliquit. Audaldus verò moestus, ac deinde uno solo comite contentus, post (b) quam prolixum est expediri paganorum insidias, pariterque tribulationum variarum pressuras, ducente se Christo, audacter percurrens, tandem aliquando Valentiam superius nominatam civitatem aggreditur. Ubi diebus quatuor in ejus suburbio, à christianis jam penitus derelicto, anxius dubiusque quid ageret (c) immo pavens, die quinto Zachariam quemdam Maurum apud quem hospitaretur (d) conveniens, sciscitabatur ab eo privatim de re propter quam venerat, et utrum se hunc (e) adjuvare posse, denudatis secretis interrogat. Quo respondente se optimè posse, atque locum ubi pretiosus domini martyr jacebat, ipsiusque monumenti tumbam adhuc integram bene (f) se nosse, eamus, inquit Audaldus, et videamus utrum ne ita est (g) quemadmodum testaris. Quo ajente, quid michi dabis pecuniae, si quod quaeris ostendero? Monachus dit: parum quidem habeo, sed illud (h), vel totum vel certè exinde quantum petieris incunctanter appendam. Unde praedictus Zacharias superno instinctu, sanctique martyris, ut credimus, obtentu moderatus, non amplius quam quadraginta (i) argenteos, solidos videlicet quinque (k) prae-

(a) *Edit.* Ac viam festino tramite accelerantibus.

(b) *Edit.* Post multas, quas prolixum esset expedire, paganorum insidias.

(c) *Edit.* Quid ageret immoratus, quinto die.

(d) *Edit.* Hospitabatur.

(e) *Edit.* In hoc adjuvare possit.

(f) *Edit.* Bene nosse.

(g) *Edit.* Ita sit.

(h) *Edit.* Sed illud totum.

(i) *MS. Rip.* Sexaginta.

(k) *Edit.* Quinque, postulavit.

tium postulavit. Quibus libenter attributis (a) simul ierunt ad locum, ubi matheriorum (b) ecclesiae tantùm patebant ruinae, atque ipsius sepulcri situm, ut fuerat incontaminatum, tituloque signatum reperiunt: in quo erat super inscriptum, quòd illic requiesceret sanctus levita et martyr Vincentius; praeclarorumque (c) parentum nomina, patris Eutitii, matris verò Enolae, à quibus orbi agonista talis processerat, eidem epitaphio inter cætera refulgebant inserta. Ergo compente, seu denotato sarcophago (d) die ad diem adhuc multo dimium reversi sunt, glorificantes Audaldo Deum, ac benedicente, qui itineris sui cursum (e) ita prosperè direxisset.

LECTIO QUARTA.

Proinde dum quies noctis membra (f) humana blanditur, accepto lumine consurgentes, soli secretò revertuntur ad tumulum: inventumque mirae pulchritudinis vas marmoreum undique, ut decebat, studiosè munitum (g), ultra quam credi posset inopinata facilitate ac virtute simul ambo viribus insistentes aperiunt. Quid praeterea admirationis pro incredibili ejus integritate, quidve compunctionis seu lacrymarum, propter videlicet gaudium, ac inexpertam aromaticae suavitatis illic diffusam fragrantiam, memoratus ille monachus, tantique (h) boni repertor, inibi tunc, persenserit, ineffabile ipso jurejurando attestante habetur. Hoc tamen luce clarius fulget, quod hujusmodi

(a) *Edit.* Tributis.
(b) *Edit.* Macerianum.
(c) *Edit.* Praeclarorum quoque.
(d) *Edit.* Sarcophagi loco, die adhuc multo dimium reversi sunt.
(e) *Edit.* Iter suum.
(f) *Edit.* Membris praesertim humanis.
(g) *Edit.* Munitum, inopinata facilitate, ultra quam dici posset, simul ambo &c.
(h) *Edit.* Tanti boni.

signis, veluti quibusdam vocibus promulgatum fuerit, quòd is qui quaerebatur Dei martyr et levita Vincentius esset inventus. Qui extra multiplices, et admirandas suppliciorum (*a*) eorum injurias ita, ut praelibavimus, integer liberque à putredinis labe repertus (*b*) quod nullomodo in praeparato sibi ad differendum (*c*) sacculo nervis adhuc rigidis componi potuerit, nisi per artus (*d*) dissolveretur. Quibus cum reverentiâ et timore perfunctis, ad officium (*e*) deportatur, tempusque ac opportunitas exeundi, patriamque revisendi praestolatur in dies.

LECTIO QUINTA.

Emptis denique palmarum ramis (*f*), corpusque circumligatis, veluti hujusce rei gratia thesaurus occultaretur acquisitus, tantum tamque venerabile praemium levans, hoc onustus munere (*g*) hoc quoque locupletatur margarito (***): negotiator ille pauper ditissimus effectus opta-

(*a*) *Edit.* Suppliciorum ejus.

(*b*) *Edit.* Repertus est: ut nullo modo.

(*c*) *Edit.* Efferendum.

(*d*) *Edit.* Nisi per artus (hoc ipsa cogente necessitate) complicatus dissolveretur.

(*e*) *Edit.* Hospitium. *Officium* interdùm sumitur pro comitatu domesticorum ac familiarium: tum etiam pro loco ubi consistunt ministri augustales: *Quaesitus per omnia. Officia* &c. (Cons. Dufresnii Glossar. v. *Officium.*)

(*f*) *Edit.* Ramis, et circa ipsum corpus ligatis.

(*g*) Munere, hacque locupletatus margarita.

(***) *Margarito.* Fortè ad imitationem scriptorum ecclesiasticorum, qui *margaritum* vocant sacrae eucharistiae particulam, post sacrificium pro infirmis reservatam.

Quo sensu Fortunatus *lib. III. Carm. ad Felicem Biturr. episcopum*:

Quam benè juncta decent, sacrati et corporis agni
Margaritum ingens, aurea dona ferant.

Tum etiam cruciculam quae sanguinem et crucis Christi particulam continebat, cujus exemplum ex veteri quodam li-

tum iter, dum tempus videt, resumit. Cui Dominus rursus ostendere volens, quod quaesiti Vincentii levitae et martyris corpus invenerit, sub nocte quadam dum super universos eidemque (a) Audaldo sopor solito vehementior irruisset: subitò fulgur (b) haud dubium quin coelo delapsus, omne replevit quo sanctus inerat habitaculum, quatinus (c) hospes seorsum recubans, nihil aliud quam domum suam, volvente ignis edacitate, ardere putaret. Dumque clamores pavitans quis ignem succendisset, emitteret, Audaldus, veluti itinere (d) fessus, vix somni decussâ quiete assurgit, vocesque clamantis hospitis aspiciens (e), rem coelitus administratam ipso perfusus splendore tacitus, timidusque attendit. At ubi in sese (f) recollectus, virtutem recognovit (g) Altissimi: hospitem, utpote gentilitatis ritu ferocem, blando, ne paveat, demulcet afflatu, ignem proculdubio à se accensum fuisse pronuntians. Hoc autem audito, sese ille (h) intra cubiculi sui claustra continuit: nec est permissus dignusque inventus, qui facti miraculi mereretur nosse misterium. Monachus verò orto mane festinè consurgens, quod residebat itineris (i) maturius conficere satagit. Unde post aliquot

bello affert Mabillonius *Annal. Benedict. t. III. pag. 704.*

Μαργαρίτης appellari graecis recentioribus vas in quo *margaritam* asservatur, docet Franc. Richardus *in Relat. de Insula sanctae Irenes p. 225.* Plura in hanc rem è Graecis patribus congessit Leo Allatius *De templis graec. recentioribus ap. I. ad Jo. Morin. c. XVII. seq.*

Margarition etiam ad exprimendum laudis vel amoris affectum, pro *margarita* in epitaphiis veterum usurpari, observat Montfauconius *Antiquit. expl. t. IX. p. 55.* de quibus cons. Dufrem. *Glossar.*

(a) *Edit.* Eundemque Audaldum.

(b) *Edit.* Fulgor.

(c) *Edit.* Adeo ut hospes.

(d) *Edit.* De itinere.

(e) *Edit.* Accipiens.

(f) *Edit.* In se.

(g) *Edit.* Agnovit.

(h) *Edit.* Ille se intra.

(i) *Edit.* Itineris conficere.

dies Caesaraugustanam (*a*) civitatem properanter agressus, à quadam Deo devotâ mulierculâ, prope ipsius urbis moenia domum habente, misericordia hospitandi, utpote (*b*) peregrinus, illâ nocte suscipitur. Quae sollicita dum in occultiore parte suae domus vigilans et tacens quiesceret, animadvertit memoratum monachum ante sancti corpus lucentibus cereis psallentem (*c*) astare. Itaque pulsato nocturnali tempore signo, ad ecclesiam concita pergit: atque quod viderat, per internuntium episcopo civitatis intimavit. Qui festinans sarcinam sibi unà cum palmis, pudore deposito (*d*) deportari jussit, monachum autem comprehendi mandavit. Ille verò paullò antè de necessariis viae sumptibus meditans, propter emendos panes, ministro, qui (*e*) erat mutus, domi relicto, ad forum processerat. Episcopus namque diviso fasce, et quaeque (*f*) inerant universis coram expositis, reperit sanctum intrinsecus latens pignus, sacco diligenter insutum. Quod stupens, nimiumque admirans, et aestimans omnino quod erat planè alicujus sancti martyris corpus, jussit illud auferri, atque in ecclesiâ beatae Mariae semper Virginis, quae est mater ecclesiarum ejusdem urbis, veneranter recondi: in qua olim sub Valerio pontifice idem martyr, strenuusque athleta diaconii (*g*) arcem insignis tenuerat.

LECTIO SEXTA.

His itaque (*h*) dolo peractis, Audaldus horum nescius, cum panis edulio domum regreditur: inventoque (*i*),

(*a*) *Edit.* Caesaraugustam.
(*b*) *Edit.* Ut puta.
(*c*) *Edit.* Psallenter.
(*d*) *Edit.* Pudore sublato.
(*e*) *Edit.* Quia erat.
(*f*) *Edit.* Et quaecumque.
(*g*) *Edit.* Archidiaconii.
(*h*) *Edit.* Ita dolo.
(*i*) *Edit.* Agnitoque (pro dolor!) hoc tristi facto, perculsus.

proh dolor! hoc tristi patrato, percusus animi dolore ad eumdem episcopum, nomine seniorem (*), lacrymis plenus accessit, conquerens cum eo de injuste sibi sublato (a) corpusculo. Et meus, ait, meus fuerat ille propinquus, in partibus Hispaniarum nuper mortuus, ac sepultus. Cujus cadaver inter reliquorum parentum meorum exanimes artus componere malens (b), haec terrarum spatia multis vexatus calamitatibus, Christo propitio, peragrans evici; atque illud (c) parvo exenio (**) dato ex paganorum placatâ feritate redemi. Sed, proh nefas! inquit, offendi episcopum crudeliorem ethnicis. Quod enim eorum austeritas humanitùs emollita piè quaerendo (d) concessit; hoc tuâ violentiâ improbè omnimodis exagitanti (e) rapitur, impudenterque praesumit, et veluti insanus sanctum dicis corpus hominis peccatoris. Tunc episcopus inter haec et alia nimis rabidâ (f) permotus ira, monachum teneri praecepit: in exquisita tormentorum genera, virgarumque ei viguores (g) repromittens, nisi de (h) quanam civitate vel loco eum furatus esset, seu quo nomine idem sanctus censeretur, exponeret. Quod cum coepisset, ac crudeli (i)

(*) *Seniorem* Caesaraugustanum pontificem, *rectis vitae moribus* praeditum S. Eulogius presbyter Cordubensis praedicat in epistolâ ad Willesindum Pampilonensem episcopum. Floruit ad ann. 849. De eo Cl. Risc. *Hisp. Sacr. t. XXX. pag. 214. seq.*

(a) *Edit.* Subducto corpusculo.

(b) *Edit.* Satagens.

(c) *Edit.* Illud non parvo *xenio* dato.

(**) *Exenio. Exenium*, *xenium*, munus, donum, oblatio, atque adeo, quaevis praestatio vel tributum sub nomine doni: unde *exeniare*, dona conferre; à graeca voce ξένιον, *hospitale*. Utriusque exempla benemulta videsis ap. Dufresn. in *Gloss.*

(d) *Edit.* Quaerenti.

(e) *Edit.* Exagitata rapit.

(f) *Edit.* Rapidâ permotus iracundiâ.

(g) *Edit.* Livores.

(h) *Edit.* De qua.

(i) *Edit.* Crudelius.

carnifice turpiter exercere perstitisset: Audaldus volens nolens et valde diu caesus, ac per testiculos tandem suspensus, quasi visus est confiteri, quod ab Hispaniae partibus illum deferret, quodque sanctus Marinus martyr (hoc invento vocabulo) nomen haberet. Sicque, ut reliqua transeamus, episcopo praedis (*a*) nefario invasore partim deluso, cum magno cordis ploratu, fletuque plurimo pulsus, ad proprium locum monachus tristis, verberibusque attritus revertitur. Quod monasterii sui fratres audientes, nec credentes, Audaldum mendacem (*b*) redarguerunt, nomenque illi gyrovagi (*), imponentes, à se sequestrando, jam (*c*) etiam ipso sponte exeunte, repellunt: et ubicumque libeat licentiam ei, immo necessitatem tribuunt commorandi. Qui ad coenobium beati Benedicti, Castrum superius cognominatum, usque perveniens, ejusdem congregationis abbati, viro religioso domno Guislaberto (*d*) coeterisque fratribus ibidem degentibus, omnem sui itineris, sive actus continentiam, quali-

(*a*) *Edit.* Sacrae praedae.

(*b*) *Edit.* Mendacii.

(*) *Gyrovagi*, qui et *circumcelliones*, appellati monachi, qui monasteriis suis relictis, per totam vitam vagabantur, in aliorum cellis ternis aut quaternis diebus commorantes, de quibus regula S. Benedicti cap. I. S. Petrus Damian. lib. V. epist. 9. S. Bernardus epist. 68. et alii. In hoc autem vagandi studio alii membra martyrum venditabant, alii fimbrias et philacteria sua magnificabant, sumptus lucrosae egestatis, aut simulatae pietatis exigentes. De his olim Paulinus *Poëm. ad Cytherium*:

Qualia vagari per mare et terras solent
Avara mendicabula,
Qui dejerando monachos se vel naufragos
Nomen casumque venditant.

Inde *gyrovagi* dicti sunt presbyteri qui dimissâ suâ parochiâ, errones fiebant; quam vocem latius postea usurpavit Rodericus Tolet. (*de reb. Hisp. lib. IV. cap. I.*).

(*c*) *Edit.* Jamque ipso etiam.

(*d*) *Edit.* GISLEBERTO.

terque sibi sancti levitae et maryris corpus sublatum fuerit, per ordinem explicavit. Qui nimirum attoniti, et pro hiis quae dicebantur, valde gavisi, Audaldum regulari more prius suscipiunt, ac deinde illi secum quamdiu adviveret (*a*), habitandi locum concedunt. Simulque deliberant, tempus ad hoc congruum opperientes, quatinus tantum ad se decus quandoque supernâ opitulante gratiâ transferre satagerent.

LECTIO SEPTIMA.

Exacto denique tempore, annis scilicet octo (*b*) semis evolutis, ad Caesaraugustam, Salomone sibi familiarissimo Cerdaniensi (*) comite in mandatum (*c*) fratres ex se mittunt, qui sancti levitae et martyris corpus, procurante hoc ipso Salomone, reciperent, secumque, Christo miserante, deferrent. Salomoni namque (*d*) jam dudum compertum fuerat; et, ut erat vir prudens atque boni cupidus, ad regem majorem (**) Cordubensem opportunitate

(*a*) *Edit.* Viveret.

(*b*) *Edit.* Octo et semis.

(*) *Cerdaniensi.* Ceretani, Cerretani, vel Cerroetani, Hispaniae citerioris populi, à Mela pretermissi, Straboni, Plinio, Ptolemaeo aliisque veteribus nominati, comprehendebant olim frequentissimas valles, tum comitatus hodierni Ceritaniae, tum etiam comitatuum Urgellensis, Palliarensis et Ripacurciensis, usque ad Sobrarbium et Aynsam, oppida Jaccae contermina. Quare hos populos in Julianos et Augustanos distinxerit Plinius, docet Petrus de Marca (*Marc. hisp. lib. I. cap. XII.*) Nunc sub Catalauniae principatu censentur, ditio vulgo *Cerdania* aut *Cerdaña* appellatur.

(*c*) *Edit.* Comite mandante, ex se fratres mittunt.

(*d*) *Edit.* Namque hoc jam dudum.

(**) *Ad regem majorem Cordubensem*, Mahomad scilicet, Abderrahmani filium. *Rex major* dicitur, quoniam *Corduba* erat imperii Maurici sedes, ejusque rex ceteris maurorum in Hispaniâ ducibus ea saltem aetate, jura dabat. Mauros hos

acceptâ perrexerat, fingens inter caetera (*a*) quod apud Caesaraugustanam civitatem parens ipsius vocabulo Sugnarii (*b*) dum ab Hispaniae partibus deferretur, à Seniore, ejusdem civitatis episcopo violenter sublatus detineretur. Ille vero exceptis aliis denariis (*c*) sponte oblatis, ut corpus reddi juberet solidis centum expostulatis, ad regulum (***) saepe dictae civitatis, nomine Abdilam, cartam facere mandat, imperans ut ipse totidem quoque solidis sumptis, Salomoni comiti propinqui sui Sugnarii corpus restitui praeciperet. Quibus sic expeditis, ac principum animis, taxatâ pecuniarum summâ, lucratis, episcopus advocatur: et cur tantam in mortuo (*d*), imperatoriâ posthabitâ reverentiâ, exercuerit iniquitatem, velut reus majestatis, quique etiam nec sibi reveritus fuerit, districtè inquiritur. Quo omnia negante, et quod id non fecerit cum (*e*) Dei, sanctorumque juramentis crudeliter resistente, Audaldus accedens constanti animo episcopum fortiter convincere parat. Sed illis (*f*) nimium et absque effectu, uti dicatur muliebri-

provinciarum praefectos, regulorum et regum quoque nomine ornatos tunc temporis fuisse, ut Abdila, de quo in sequentibus, testatur Sebastianus Salmanticensis; constat etiam ex actis SS. martyrum Nunilonis et Alodiae, quod sequentium aetatum scriptoribus est familiare.

(*a*) *Edit.* Inter reliqua quod apud Caesaraugustam.

(*b*) *MS. Rip.* SIGNARIUS: *edit.* SUGNARIUS.

(*c*) *Edit.* Donariis.

(***) *Ad regulum saepe dictae civitatis.* Abdilam hunc, qui et *Abdalla*, inter *Muzam Aben Hzacin*, et *Aben Alfage* regnasse, conjicit Diagus. Num hic *Abdiluvar* Caesaraugustae rex, qui medio saec. IX. floruit? an *Abaddella*, Zimaelis successor, qui dolo Caesaraugustam occupavit anno 881.? (Cons. Risc. *Hisp. Sacr. t. XXXI. p. 136. 138.*)

(*d*) *Edit.* In mortuum.

(*e*) *Edit.* Cum multis Dei sanctorumque juramentis affirmante, Audaldus &c.

(*f*) *Edit.* Sed illis diu absque effectu, et, ut dicitur, muliebriter altercantibus, postquam episcopus blandis sermonibus invitatus veritatem

ter altercantibus, post quam diu est conflictus ut confiteretur, blandis insuper invitationibus provocatus episcopus, ad postremum veluti rebellis tormentis destinatur; eique quod ligato pedibus ejus vel collo fune, per circuitum civitatis traheretur, quodque illusus (*a*) membratim demum dissiparetur repromittitur, nisi datâ veritate, à negandi duritiâ sibimet consulens resipisceret. Virtutes namque (S. Vincentii) licet sub nomine sancti Marini, transacto praescripti temporis spatio illic frequenter ostensae, animum illius (*b*) in tantum martyris amorem pertraxerant. Exterritus tamen hujusmodi minarum horrore, non solum quod gestum est confitetur, verum etiam et quod multis est incognitum, quòd videlicet illud sacrum corpus esset humatum, non sine dolore quidem gemebundus aperit. Qua de re animosiores praedicti qui advenerant monachi, simulque fodiendi viribus sumptis, accedunt ad designatum martyris investigandum sepulcrum. Concertantibus autem eis utpote ad elaborandum instructis, pretiosum reperiunt, elevantque coelestis doni talentum. Cumque unus illorum, Ratbertus (*c*) nomine, haesitans dubitaret, idem an (*d*) alius esset, atque loculum aperiendo certis signis Audaldo notis, hoc prius cautè perspici debere contenderet: statim pede, quem ad hoc promoverat, infirmatur, plurimum

fateri noluit, proponuntur ei tormenta; ut scilicet ligato pedibus ejus vel collo &c.

(*a*) *Edit.* Et sic illusus, membratim demum dissiparetur. Et quamquam virtutes S. Vincentii, licet sub nomine S. Marini &c.

(*b*) *Edit.* Animum illius in ejus amorem miro modo pertraxissent: minarum tamen horrore exterritus, quod gestum fuerat confitetur, et locum quo illud sacrum corpus erat humatum, non sine dolore ac gemitu aperit. Quò pervenientes monachi qui advenerant, tam pretiosum caelestis doni talentum reperiunt, elevantque. Cumque unus illorum, &c.

(*c*) *Edit.* RADBERTUS.

(*d*) *Edit.* An is vel alius esset.

sibi formicante genu cum tibiâ. Quo (a) remanente reliqui hoc indicii signo satis certi redditi, corpus tantum procurant inventum atque ad deportandum apte componunt. Tantoque petiti (b) desiderio, atque post paululum in compedis vigore pleniter recuperato, cum hymnis et gratiarum laudibus, prout ratio et loci qualitas dictabat, exeuntes, ad propria redire, domino ducente, disponunt: cui est honor (c) et gloria, virtus et imperium in saecula saeculorum. Amen.

Hucusque de sancti corporis inventione, seu repetitione: nunc autem quae restant translationis et gestorum in ea miraculorum, sequens libellus cum subjecto excipitur (d) prologo.

LECTIO OCTAVA.

(e) Siquidem illis ad Ballagarium (f) oppidum, juxta fluvium (*) Sigarim cursim (g) pervenientibus, unum so-

(a) *Editio.* Quo signo reliqui satis certi de reddito corpore, illud ad deportandum aptè componunt.

(b) *Edit.* Potiti desiderio, ac post paululum monacho pedis vigore.

(c) *Edit.* Honor et potestas.

(d) *Edit.* Excipiat.

(e) *Edit.* Incipit liber secundus.

(f) *Edit.* Balagivum. Marca asserit legendum esse *Balaguerium*, hodie *Balaguer*.

(*) *Fluvium Sigarim.* Hic est *Sicoris*, fortè et *Sicanus* dictus veteribus (nunc *Segre*), qui in Cerretanis ortus, ad radices Pyrenaeorum, et in limite Galliae, deinde Juliam Lybicam rigat, uti Cerretaniam et Urgelim. Hinc recipit Noguera Palearesiam dictam, supra Balaguerium, uti Noguera Ripacurtianam supra Ilerdam, ubi Cingae junctus, in Iberum se exonerat ad Mequinentiam Castrum.

(g) *Edit.* Segarim, cursim pervenientibus, in quadam insulâ solo contiguâ resederunt. Statimque divulgatum est nobilis levitae et martyris corpus adesse. Tunc conveniunt nonnulli, munera et obsequia pro posse offerentes. Inter quos mulier dudum caeca adducta est, quae humi ante ipsas reli-

lummodo, quod ibidem clarius gestum est, explicetur miraculum vere fatendum, quod suscitaret non solum legentis, verum etiam audientis inertiam. Sic quod per ejus meritum debilibus varie languentibus largita sunt, universa perstringi conarentur. Prope quam urbem in quandam insulam solo contiguam, gratiâ opportune manendi, cùm accessisent, auditum est secretis quod nobilis levitae et martyris Christi Vincentii corpus illud esset. Conveniunt quidem pauci, et pro posse facultatis voti, seu muneris obsequia laeti ministrant. Inter quos quaedam mulier jamdiu occulis praecaeca cùm adducta venisset, statim se ante sancti reliquias humo prosternit, ac magnis fidisque praecibus per beati martyris praeclara suffragia lumen sibi donari poposcit. Quod cum fecisset, atque flens irrogando aliquamdiu perstitisset, mox cernentibus qui aderant universis, surgens ad oratione visum recepit, seque metipsam qualis venerit, qualisque effecta esset admirans, sic ajebat: gratias tibi Deus, tibique sancte martyr, qui me tuae virtutis ubertate dignam duxisti (*a*). Porro vicini aspicientes eam videntem, quam à multo tempore caecam noverant, simul cum ea gratiarum muneribus, Deoque Sancto martyri oblatis, cum gaudio et mentis alacritate super hanc sibi coelitus visionem exhibitam, reversi sunt.

LECTIO NONA.

Profecti autem inde ad Bergam (*) castellum celeri

quias postrata, lumen sibi donari poposcit. Et aliquamdiu flens ac in oratione persistens, visum, cunctis qui aderant cernentibus, recepit, et semetipsam qualis venerat, qualisque effecta esset admirans, ajebat.

(*a*) *Edit.* Duxisti. Profecti autem &c.

(*) *Ad Bergam. Berga* oppidum est ad Rubricatum (Llo-

cursu iter dirigunt. Unde (*a*) Dominus itidem praestito miraculo, quid meriti, quidve gratiae apud eum sanctus levita et martyr haberet, clementer ostendit. Nam inter reliquos gratissima ejus munera requirentes, adfuit (*b*) delatus claudus, toto (*c*) corpore aegrotus. Is etenim intromisus ad sacrosancta ejus veneranda patrocinia, tunc, quemadmodum contingere in talibus solet, dolore primum invaditur, atque eo valide per membra grassante in pavimento versatus nimis affligitur. Eratque hoc supervenientibus novum caeterisque omnibus visu mirandum. Attamen miserante se Deo, sanctique levitae martyris pii juvaminis auxilio sublevante, directis gressibus paullatim pedum, basibus sese consolidantibus, ambulare coepit, itaut laetitia sospitatis amica comitatus, per se ad suos sanus rediret. Quia vero lucerna non debet abscondi, sed ut luceat super candelabrum poni, jam illic (*d*) sanctum corpus tanto virtutum fulgore coruscum feretro aptantes, Salomone comite, praevio pacificoque ductore Cerdaniam (*e*) venerunt. Ibi enim propter occurrentes, et necessariam (*f*) viam itineris repausationem salubri consideratione aliquantis

bregat) amnem, in Catalaunis apud Barcinonem urbem fluentem. Ptolemei aevo notum fuisse, probabile est. De hoc Castro Livius lib. XXIV. Bergitanos fuisse in Lacetania Plinii, docet Petrus de Marca, *Marc. hisp. lib. II. cap. XXXIII.* §. V.

(*a*) *Edit.* Ubi.

(*b*) *Edit.* Adfuit quidam delatus.

(*c*) *Edit.* Totoque corpore aegrotus. Qui coram reliquiis (ut in talibus contingere solet) coepit primùm dolore valido affligi, et in pavimento voluțarl. Quod astantibus mirum videbatur sed paulo post miserante Deo intercessione beati Vincentii consolidatae sunt bases pedum ejus, et directi gressus: ita ut laetitia sospitatis amica comitatus, per se ad suos sanus rediret.

(*d*) *Edit.* Jam illud.

(*e*) *Edit.* Cerdaniam usque venerunt.

(*f*) *Edit.* Et necessariam itineris quietem, salubri &c.

perstare decreverunt (a). Intrantesque in quamdam ejusdem provinciae villam, quae (b) priscis cultoribus datum sibi nomen Albis accepit, imposuerunt illud (c) simul cum feretro super altare ecclesiae (d) in beatae Virginis Mariae honore, Christo Domino in eodem loco dicatae. Quo innumera per biduum populorum geminis ex plebe collecta reperti sunt, aliis exemptis, contracti genibus duo, et una debilis mulier, caecus unus, ac febricitantes seu inergumeni (e) ejus sanctis meritis ab omni infirmitatis (f) gravedine liberati. Nec audivimus, quod ullus quocumque debilitatis morbo invasus, si fideliter accessit, se vel advenisse vel certè sine remedii medicinâ recessisse doluerit.

LECTIO ALIA.

Bene (g) igitur per singula mansionum loca patratis miraculis, ut, verbi gratia, in (*) Libiâ duobus claudis erectis, et (h) Carcasonâ (**) extra videlicet urbem, in

(a) *Edit.* Decreverant. Intrantesque quamdam.

(b) *Edit.* Quae à priscis cultoribus nomen Albis accepit.

(c) *Edit.* Illud super altare.

(d) *Edit.* Ecclesiae beatae Mariae Virginis. Quo innumerâ multitudine utriusque sexus per biduum confluente, reperti sunt inter eos, contracti genibus duo.

(e) *Edit.* Energumeni.

(f) *Edit.* Infirmitatum.

(g) *MS. Rip. et edit.* Paenè igitur.

(*) *In Libiâ. Libia* seu *Livia* oppidum perantiquum erat circa *Sicoris* fontes. Castrum hoc *Cirritaniae caput* vocat Julianus Toletanus in hâ storiâ expeditionis Wambae regis adversus Paulum tyrannum (*ap. Duchesn. t. I. pag. 824.*) Libiae finium et Cerritanensis oppidi meminit et Isidorus Pacensis ad annum DCCXXXI; ubi agit de rebellione Munozil Mauri adversus Abderramanem. Livliae istius frequens mentio est in veteribus actis ac praecipuè in praeceptis regiis Ludovici Pii et Karoli Calvi (V. *Marca hispan. lib. I. cap. XII. §. IV. seq.*).

(h) *Edit.* Et in Carcassona extra urbem.

(**) *Carcasona.* Vetus et celebris *Volcarum Tecto sagum*

ecclesiâ, sub ipsius levitae et martyris veneratione Christo sacratâ, daemoniacis, infirmisque aliis non paucis curatis, jam laeti Castrum quò tendebatur, praecipui patris (*a*) beati Benedicti monasterium appropinquant. Si (*b*) qualis fuerit tantâ exceptione dignus, cum crucibus, ac cereis, omnibus (*c*) congruis ornatibus ille monachorum splendidus apparatus, nec non et devotissimus populi concursus, reor superfluum si exponi contendantur (*d*): praeter quod apparatus decentissimus, populi verò utriusque sexus multitudo inextimabilis fuit. Interea ploratus à multis fundebatur, atque cantilenis sese singultus intermiscens, alternis refractionibus voces psallentium quatiens suffocabat. Martyris itaque corpus servandum venerandumque in ecclesiâ almae genitricis Dei Mariae ante ipsius coenobii portam collocaverunt, ob devotam maximè foeminarum frequentiam, quibus monasterii ipsius aditus ex antiquâ patrum (*e*) loci consuetudine denegatur. Disposuerant (*f*) tamen quatinus in ejus honore hoc ipsum etiam tempore secundante, extra eundem monasterium non multum quidem longe ad eum tumulandum nova exinde et major construeretur basilica, quae communem viris pariterque mulieribus praeberet introitum. Igitur universis rite decenterque compositis, ac miraculorum signis plurimis patefactis, regrediuntur unusquisque per turmas suas.

Si quando forte poterat dubitari de tali ejus inventio-

in Gallîâ Narbonensi urbs, *Carcasso* Ptolemaeo, *Carcassio* Procopio, post *Carcassona* dicta.

(*a*) *Edit.* Patris Benedicti.

(*b*) *Edit.* Sed qualis.

(*c*) *Edit.* Omnibusque.

(*d*) *Edit.* Contendatur. Martyris itaque corpus &c.

(*e*) *Edit.* Ejusdem loci.

(*f*) *Edit.* Decreverunt tamen novam basilicam in ejus honorem monasterio vicinam extruere: ad quam utriusque sexus personis devotis liber sit accessus.

Sed quoniam fortè poterat &c.

ne, sive optata (*a*) dilatione; illud etiam omnipotens Deus providae suae bonitatis cumulo in ea exceptione hoc primo facto miraculo roborari non destitit. In villa vero Incellas, à monasterio plusquam tribus distante millibus, hoc constituit inter alia palam praesentibus cunctis miraculum. Foemina namque ibidem adhuc degens, nomine Attrudis, audivit à vicino domus suae quod deposito laneficii opere, ad beati Vincentii obvianda patrocinia aliis occurrentibus, et ipsa quoque festinaret occurrere. Quae recusans, et quod est magis, sub nomine martyris quilibet maurus ethnicus vel hispanus cacinno pleno guarrulae contendens, extimplo omnium privata membrorum officiis contrahitur, ac veluti cadaver miserabiliter in terra (*b*) consternata, vitam se mox expiraturam terribili voce proclamat. Taliterque divinae virtutis potentiae, sanctique levitae et martyris veram experta praesentiam, menteque prona amicos sive propinquos efflagitabat, quatinus eam, si qua sui eos curam habebat, cito transferrent. Qui celeres ejus petitionis verba complentes, super impositam rotis, ad sancti templum miserandam pertrahunt. Ubi per dies novem aspicientibus multis, eamdem percussionibus (*c*) debilitatem sentiens mansit, atque post alios novem saluti reformata,

(*a*) *Edit.* Et optata delatione, hoc omnipotens Deus ad cumulum suae bonitatis tali miraculo roborari voluit. In villâ Vidcellas, à monasterio tribus dumtaxat millibus distante, femina quaedam ibidem adhuc degens, nomine Aitrudis, à vicino suo admonita est, ut deposito lanificii opere, in occursum susceptionis B. Vincentii martyris cum aliis properaret. Quod illa facere recusans, cum cachinno dixit esse potius corpus cujusdam mauri ethnici, vel hispani, quàm martyris. Et extemplo omnium privata &c.

(*b*) *Edit.* In terram consternata, se mox expiraturam terribili voce proclamat: rogatque suos, ut ad sancti templum deferatur. Ubi curru delata, per dies novem &c.

(*c*) *Edit.* Percussionis debilitatem sustinens mansit.

valens, ut nunc quoque valet, exilivit (*a*).

Cùm verò (*b*) frequentantibus locum plebibus, sive infirmis variis langoribus oppressis sanitatum medelam exquirentibus, à Cerdaniae partibus quidam prossequentes (*c*) aut longe à monasterio propriis rebus expoliati, nudi ad sanctum gemebundi flentesque perveniunt. Sed mirum in modum gratia supernae accidit aequitatis, ut qui fuerant praedatores, aliorsum (*d*) captâ praedâ fugere temptantes, ad veram (*e*) sibi profectionem mirabiliter coacti, cum universis quaecumque (*f*) abstulerant, ad eundem locum festinanter accederent. Qui (*g*) sese obviantes agnitisque vultibus constanter intuentes, isti timere, illi vero multo amplius admirari coeperunt, et utrum ne ipsi, an certe alii eorum similes essent, mente dubiâ coticentes haesitabant. Tandemque re manifestâ, et volentibus in reos humaniter populis consurgere, supplices quinam nuper tulerant zelo vindictae accensi exorant, ne quid mali eis ob Christi, sanctique martyris amorem inferrent. Quod cum donatum, sive etiam difficiliter impetratum fuisset, receptis omnibus, Deum, sanctumque laudantes Vincentium, ad propria singuli repedant; isti de inventis, illi autem de veniâ gratis acquisitâ jocundi.

Neque (*h*) enim hoc silenter praetereundum est, quod

(*a*) *Edit.* Exivit.

(*b*) *Edit.* Enim vero.

(*c*) *Edit.* Venientes.

(*d*) *Edit.* Aliorsum fugere tentantes.

(*e*) *Edit.* Adversâ sibi profectione.

(*f*) *Edit.* Quae abstulerant.

(*g*) *Edit.* Et sese mutuò intuentes spoliatores ac spoliati, isti timere, hi verò multo amplius mirari coeperunt: volentibusque populis in reos consurgere, supplices rogarunt ne quid sibi mali ob Christi sanctique martyris amorem inferrent. Quo impetrato, omnia restituerunt: et Deum sanctumque laudantes &c.

(*h*) *Edit.* Nec silentio praetereundum, quod pari admiratione dignum est. Quidem enim ex Camerensi pago &c.

simili quoque admiratione dici potest. Quidam ex Camarensi pago, causâ orationis, inclinato jam die adveniens, lanceam suam uni arborum, quae sunt ante memoratae basilicae ingressum, servato religionis honore innixam reliquit. Cumque ecclesiam sic exarmatus intrasset (*a*), seque petitionis effectu propter quod venerat, devotè mancipasset, statim fur dilitiscens conceptam peperit iniquitatem, lanceam tollens, et aufugiens. Quî dum ad domum suam, non longe positam, solitâ gavisus nequitiâ, cito regredi vellet, semitam arripuit mentis oblivione captus, quae cum ab ejusdem viri tugurium cujus erat hasta, infra triginta ferme leugas (*b*) jejunio ac itinere per totam noctem fatigatus transposuit (*c*). Residensque mane ante ipsius domus januam fessus, quòque sitis ardorem pauxillo aquae haustu repelleret, ab ejus uxoris manu inianter postulans supplicavit. Quam mercedis cupida mulier dum obtulisset, arma viri sapiens contemplans recognoscit, atque qualiter sibique sit actum didicit, mirans, et sancti Vincentii virtutem magnam esse protestans, et veniam confitenti tribuit, et lanceam, ipso magnopere quo reciperentur postulante, proprio loco restituit. Latro verò, sensu recepto, ad propria meritò tali castigatione emendatus recurrit.

Quoniam de sancti levitae et martyris fabricandae ecclesiae constructione mentionem intulimus (*d*), novum

(*a*) *Edit.* Intrasset, et orationi devotè insisteret, fur quidam lanceâ ejus raptâ aufugit, domum suam non longè positam petens. Sed mente perturbatus, ad ejusdem viri tugurium &c.

(*b*) *MS. Rip.* Leucas.

(*c*) *Edit.* Devenit. Cumque sitiens paululum aquae peteret, mulier agnitam mariti hastam recipit, et furi reatum suum confitenti pepercit, non sine admiratione virtutis sancti Vincentii, qui peregrini sui injuriam eo modo reparari curavit.

Quando quidem de nova S. Vincentii levitae &c.

(*d*) *Edit.* Fecimus, con-

decet inde huic loco inseramus miraculum. Illuc etenim celebri frequentiâ confluentibus populis, fuerunt plusquam ducenti viri ac mulieres cum parvulis vel infirmis, qui pari consensu statutam decreverant diem, quando ad beati martyris reliquias simul adessent. Sumptis itaque victualibus et non solum....verum etiam qualiumcumque potuerunt munerum votis, laeto animo ire caeperunt alacres. Inter quos caecus quidem, rebusque pauper, ne in sancti servitio vacuus appareret, lapidem sibi ex itinere à ductore non parvum quidem dari poposcit, atque illum festinè (*a*) levatum collo supposuit. Cumque à plebis (*b*) stultitiâ redargueretur, eò quod impossibile temptavisset, à conviantibus reprehenderetur: asseruit dicens se ab incepto numquam quiescere, donec munus assumpti lapidis ad sancti viri novi templi structuram deferret. Nec mora (*c*), immo inter haec eadem verba statim caecâ occuli diuturnâ longinquitate clausi aperiuntur. Unde stupentibus, et quod factum fuerat mirantibus universis hiis qui viderant, ac si ponderis nichil ferret, caeteris velocius ante currit, lapidisque faciens ad manus cimentariorum usque provexit.

LECTIO.

Vir igitur venerabilis Elisagar (*), Tolosae civitatis epis-

gruum est huic loco novum referre miraculum. Ad hanc enim constructionem confluentibus pariter plus quàm ducentis viris cum muneribus, praeter mulieres, parvulos et infirmos. Inter quos fuit quidam caecus.

(*a*) *Edit.* Subitò levatum.

(*b*) *Edit.* A plebe stultitiae argueretur, ut qui rem impossibilem propter pondus attentaret, asseruit se &c.

(*c*) *Edit.* Nec mora, inter haec verba, depulsâ caecitate visum recepit.

Vir igitur venerabilis &c.

(*) *Elisagar.* Memorat hunc religiosissimum antistitem Catellius in cathalogo episcoporum Tolosatium, et *Elisagar*

copus; his (*a*) virtutibus auditis insignibus, jure pastorali clerum (*b*) simulque plebem commonens hortatur, ut qui vellent ad sancti martyris orationem secum ire pararent. Qui dum decreto tempore (*c*) discalciatus, forma factus gregi à nono etiam milliario reverenter advenisset, erat praeterea cor illius miraculum videre desiderans, aliquis de turbâ utrasque manus habens à nativitate debiles, interfuit, Dei pietatem sanctique martyris virtutem devotâ mente sibi subvenire deposcens. Cumque stans oraret, lacrymarumque rivus infusus coelum sursum intenderet, confestim eo prius nimium vociferante, manus quae nunquam apertae fuerant, Dei nutu, sanctique levitae et martyris rogatu

scribit: MS. Rip. et edit. *Helisagar*: Galliae Christ. scriptores *Helisachar*. Adfuit conventui abbatum apud Tolosam habito à Raymundo marchione anno 861.

(*a*) *Edit.* His auditis virtutum signis.

(*b*) *Edit.* Clerum populumque hortatus est, ut qui.

(*c*) *Edit.* Decreto tempore pastor bonus ovium turmis circumseptus à nono etiam milliario discalceatus, forma factus gregi, reverenter advenisset, quidam eorum digitos utriusque manus ab ipsâ nativitate ita contractos et volae haerentes habens, ut numquam explicari seu extendi valerent, post orationes et lacrymas coram sancto martyre fusas, sensit eos solutos, manente tamen vivo cruore è locis quibus prius inhaeserant. Quo viso episcopus et universi qui cum eo erant, in laudes divinas prorumpunt, litanias, hymnos et Te Deum laudamus lacrymosâ voce psallentes, ipsasque manus sanguine litas jam gaudio magno deosculantes.

Quidam argentum sibi ad aliquod opus necessarium in sinu absconderat. Quod inverecundè mulier in latrocinandi arte perita extraxit. Sed manus ejus ipsum argentum continens statim obriguit, ita ut eam nec aperire, nec ad se (cunctis videntibus) reducere valeret. Ipsa verò ad S. Vincentii sacras reliquias confugiens, et ibidem cum fratribus aliisque fidelibus devotè orans, curata est, manuque relaxatâ furatum argentum restituit.

Alius caecam habens filiam à nativitate, eam medendi &c.

solvuntur à cunctis digitorum locis, quibus inhaeserant, vivo cruore manante. Quo viso episcopus et qui cum eo erant universi, ipso Christe audi nos, et letania dicente, laudes producunt hymnidicas, Te Deum laudamus, te Dominum confitemur, lacrymosâ voce dicentes. Ipsasque manus sanguine lotas, tam episcopus, quàm alii gaudio pleni acceptas deosculantur, vero aeterno omnipotenti Deo super hoc et aliis quaecumque viderant vel ibidem gestis audierant magnalibus, gratiarum actionum vota solventes: servus Dei nomine monachus et sacerdos qui vidit, huic miraculo testimonium dedit. Potuissemus quoque per singulas virtutes non modo singulae, binae, vel ternae, sed insuper plura, si voluissemus, videntium ferre testimonia.

Extitit praeterea inter confluentes, qui proprium et sibi necessarium argentum, cujuspiam operis inde negotium exercere cupiens, in sinu detulerat. Huic, quod est pudendum dicere, accessit foemina, et quacumque arte valuit latrocinante minus cautè argenti partem abstraxit. Quod cum sinu peractum nefas abscondere vellet, manus ei, ut erat clausa, unà cum denariis brachio sursum erecto continuatim obriguit, quatinus nec aperire eam cum vellet, nec ad se reducere, cunctis videntibus, posset. Quo publicato delicto, omnibus quae acciderant clamosè propalantibus quae in alium commisserat mulier sibi prospiciens, arrepto cursu ad basilicam confugit, in qua sancti levitae et martyris, ut praeposuimus, sacrae interim positae servabantur reliquiae. Illic ergo flexis genibus, et orantibus pro se qui aderant fratribus caeterisque devote fidelibus, Christo miserante, manus obstricta digitis sese relaxantibus apperitur, atque ei qui dispendium incurrerat, in praesentiarum absque ullo diminutionis dampno argentum coelesti clave custoditum restituitur. Sic uterque ille à moestitiâ, latro autem à poenâ immunis gaudens evasit.

LECTIO.

Hinc etiam videamus quid insuper et pro absente suo martyre celsa majestas operari per loca dispouerit. Nam quidam etsi operis pauper, fide forsitan locuples, à nativitate caecam habens filiam, eam medendi fretus fiduciâ, ad sancti martyris passim divulgata patrocinia adducere statuit. Qui dum monasterium (a) sumpto voto jam festinans appropinquaret, innotuit sibi à dicentibus sanctum deesse Vincentium, eumque alium ad locum ob invisum paganorum timorem sublatum. Ille vero nolens quiescere donec proprio experimento quae dicebantur, adisceret, citato gradu pervenit ad locum. Sed rei veritate compertâ, quid miser faceret, quid ageret mente turbatus ignorabat. Tandem vero tristis atque filiae caecitatis plenus amaritudine, in bivio residens ad salubre orationis portum spei anchora tutus novum vertat confugium. Coepitque immensae Domini potentiae subsidium flens implorare, atque quod suam et filiae misereretur orbitatem perseveranter expetere, piumque Vincentii efflagitans auxilium ajebat lugens, et prae cordis anxietate crebrius ingeminabat dicens: miserere, Christe, miserere, ô beatissime Vicenti, misere michi misero: misere huic filiae meae (b). Neque soli quaeso inveniamur, quibus miseteri indignum judicetur. His lacrymarum vocibus superna, quae non dormitat, ad miserendum excitata clementia, continuò obtinendum magni agonistae precibus, fide parentis (c) posse videndi puellae restituit.

(a) *Edit.* Et ad monasterium se, crebrius ingemiscens dicusque veniens, ubi comperit bat: miserere &c. ipsum sacrum corpus, propter timorem paganorum nortmanorum, ad remotiorem et tutiorem locum transportatum fuit.

(b) *Edit.* Meae. His lacrymarum.

(c) *Edit.* Et fide parentis lumen restituit puellae.

LECTIO.

Siquidem Normandi (*a*) quorum libido metu sancti levitae et martyris corpus sublatum recesserat, tunc temporis ex Guaronna fluvium à Pipino conductis marcimoniis pariter cum eo ad obsidendam Tolosam attentaverant. Hoc itaque contendentes agonizabant, qualiter urbem caperent, terram autem pede ignisque plaguâ vastarent, atque incolas exiciabilis ferri mucrone sanguinis sitibundi perimerent. Unde non solum Tolosanae, sed re vera Albienses omnes ne forte solito illis supervenientes, insperate praeocuparentur grave percussi formidine, huc atque illuc exterriti mortis periculum evadere concertanter diffugiunt. Monachi verò cum pro se, tum insuper magis solliciti et paventes pro sancto, ne in modico perderent quod secum tanto laetabantur acquisisse labore, providi sacrum sumentes corpus ad alium tutiorem locum secedunt. Insistuntque rogantes, quatinus illos in tribulatione praesentis angustiae ejus omnipotens Deus precibus dignaretur adjuvare, cujus victricia membra etiam post mortem pelago immersa, ne ponti voragine absorberentur, potenti dexterâ gubernavit. Denique Normandi post aliquos dies in vanum exâcto simul cum conductore innani obsidione fugati recedunt. Non ut conati fuerant, excepta in circuitu facta praeda, Dei miseratione sanctique levitae et martyris rogatione repulsi se praevaluisse stomacho laesi dolentesque discedunt. Monasterii verò fratres mox ut se fama securitate perlata est, obviantibus sibi fidelibus, sanctum reve-

(*a*) *Edit.* Normannis autem, qui ad obsidendam Tolosam venerant, abscedentibus, monachi sanctum revehunt corpus; dignisque eo in loco, ubi prius fuerat, offficiis venerandum reponunt.

renter corpus dignisque eo in loco ubi prius fuerat, officiis venerandum reponunt.

Rursus puella quaedam à nativitate caeca, indubitanter credens interventu sibi (*a*) tanti martyris suffragio (f. *sorori*) praecepit supplicans ut se quantotius ad eundem festina perduceret. Quae dum simul euntes incederent, ejus simili modo à referente veri Athletae praesentiam abesse cognoscunt. Tunc gemis sevientes glaciali austeritate territae, atque longioris viae cursum quo sanctus abierat, per aspera juga montium explere non valentes, quae inerat sororem hortatur quatinus ex eâ quam secum tulerant cerâ, candelas studiosa produceret, easque saltem ad locum, quo sanctum corpus dum iret, ad modicum pausatum substiterat, pro se ponentes deferret. Audierat locum miraculis celebrem, ita ut etiam animalia sensu (*b*) carentia illum contingentes debilia rederentur. Quod cum fecissent, atque sé illic ambae gementes (*c*) solo humiliter adhaerentes prostravissent, fusâ prece quae lucis nescia venerat mulier, exultans coepit (*d*) dicere se clare quaeque aderant cuncta videre. Itaque Dei, sancti levitae et martyris pietate, novam solis numquam viderat claritatem, experta, si-

(*a*) *Edit.* Interventu tanti martyris se posse lumen recipere, sororem rogavit, ut ad eum quanto cyus perduceretur. Quae dum simul incederent, audierunt in terram procul remotam delatum fuisse. Ad quam propter rigorem hyemis et aspera juga montium non valentes pervenire; caeca sororem suam hortata est, ut ex cerâ quam secum tulerant, candelas conficeret, easque saltem ad locum, quò sanctum corpus in itinere ad modicum pausarat, deferret.

(*b*) *Edit.* Ratione carentia.

(*c*) *Edit.* Gementes prostravissent.

(*d*) *Edit.* Coepit clamare se clarè videre.

In eodem Albiensi pago fuit quidam piscator, nomine Ubidandus, qui cùm videret socios suos piscatum pergentes, in praefato loco causa venerationis morari, eos increpabat dicens &c.

bimetipsi in redeundo jam manu sororis dimissâ, tramitis gradum laeta providit, fuitque hoc affinibusque universis cum admiratione stupendum, necnon et cum nimiâ gratulatione colendum.

LECTIO.

In eodem igitur Albiensi pago non solum nomine verum etiam piscationis actu Ubidandus incola notus, cùm videret socios, piscatum pergens, eumdem locum causâ venerationis solemniter adire, cur semetipsos primum ac se deinde ab agendo retardarent officio, quaestu mordaci increpabat dicens: vellem, inquit, arbores hujus silvae universas adoraretis, qui omnium plateas viarum indiscretâ consideratione oratorii religione sacratis. Cumque haec et alia cordis rancore permotus, amaricatis nimium verbis profunderet (*a*), *illico petulans os ejus in aurem sursum* convertitur, atque (*b*) monstruosus quam dici possit à suo loco tranformatur. Sociis vero pro eo quod factum fuerat non solum stupentibus verum etiam procul ab eo fugientibus, elevans miser se prorsus inania locutum poenitet, ac quibuscumque valet latratibus, se criminis reum, beatum autem sanctum Vincentium sanctitate fatetur eximium: currítque jam nullo monente, atque locum toto extensus corpore pronus adorat, contumeliosum se voce confusa blasphemumque inculpans. Deinde surgens ad ecclesiam in qua sancti levitae et martyris corpus excolebatur, velociter perrexit; eamque ita celebrem singulis horis diei vel noctis, donec sanaretur frequentavit (*c*).

(*a*) *Suppl. ex MS. Rip.*

(*b*) *Edit.* Atque ultra quàm dici potest, monstruosum efficitur. Tuncque poenitens ad praedictum locum cucurrit, totoque extensus corpore se contumeliosum et blasphemum fuisse fatetur. Deinde ad ecclesiam &c.

(*c*) *Edit.* Frequentavit. Hac itaque luce.

quemadmodum dignum sibique necessarium esse percepérat.

LECTIO NONA.

Hac itaque mirabilium luce longe lateque diffusâ, etiam à nativitate addacti caeci illuminabantur; surdis et mutis sensus officiâ reddebantur, claudi curabantur, energumeni daemonibus fugatis mundabantur, necnon et aliarum infirmitatum quacumque molestiâ aggravati praesentes, absentesque sani efficiebantur. Unde paupercula quaedam ex (*a*) multo tempore luminum à sui vissione praeventa, dum in vehendo alieno uteretur adminiculo, à quibus sociabatur tedio desidis atque fessis in viâ deseritur. Quae se omnimodis et cui à nemine miseretur abdicata intelligens, tantum petiit candelas, suae orbitatis munuscula, à quovis illorum illuc perferri, atque ante sancti martyris altare lucernas accendi. Hoc dum illorum unus manum extendens perficere vellet, ecce mulier candelas quas porrigebat, aspicit, atque recolecto brachio, gressuque diffuso, iter quod coeperat, plerosque ante vadens continuat. Sicque cum proficiscentibus gradiens, atque quotidie paulatim semper clarius videns, per seipsam cum

(*a*) *Edit.* A multo tempore luminibus privata, cùm ad S. martyrem duceretur; in medio itinere à ductoribus taedio et labore fessis derelicta, rogavit quemdam adstantium, ut saltim candelas (suae orbitatis munuscula) ante S. martyris altare accensas offerret. Qui dum manu extentâ eas accipere vult, ab ipsa muliere videntur; recollectoque brachio, jam non ductorem nec earum latorem quaerit, sed hilaris et de die in diem clarius videns iter coeptum, etiam plerosque ante vertens, perficit, et tandem ad sepulcrum B. Vincentii pervenit. Ubi candelis ardentibus, non per alium, sed per se oblatis, plenam oculorum aciem recepit.

Huic simile est miraculum in Rotenensi pago, qui vulgo Rodinigus appellatur, patratum. Quidam contractus &c.

gratiarum actione ad sancti levitae et martyris tumulum plaudenti animo currens pervenit. Ubi gratiâ divinae claritatis et largiâ sancti levitae et martyris intercessione post aliquantulum ampliore videndi munere donata, tali medicinae collirio cum suis hilaris remeavit.

ALIA LECTIO.

Ex simili proventu addatur huic texto consimile miraculum. Arotensi (*) namque pago, qui vulgo Rodingus appellatur, quidam contractus genibus cum (a) adduceretur, eis à quibus juvabatur, pigritiae vel laboris fatigatione addictis, solus itineris medio, humano destitutus auxilio, plorans relinquitur. Sed quia Dominus de quacumque necessitatis angustiâ ad se clamantium preces misericorditer exaudire non cessat; extimplo (b) miseratur miserum, ac coelesti perfusum medicamine jacentem debilem facit erectum (c): qui proprii conaminis annisu levatus

(*) *Edit.* Rotenensi. *Rutenesi* seu *Rhutheni* populi sunt Galliae in parte orientali Aquitaniae, ubi postea Rutenensis provincia (*la Rovergue*) inter Gabalos ad ortum, Arvernos ad boream, Cadurcos ad occasum, et Heleuteros ad austrum. Urbs eorum praecipua olim *Segodunum*, vulgò nunc *Rutena*, gallicè *Rodez* appellatur, ad Veronium fluvium. Ejus episcopus Bituricensi metropolitae subest.

(a) *Edit.* Cùm ad S. Vincentium adduceretur, à suis ductoribus ignavis, pigris et inhumanis, in medio itineris solus et plorans derelictus est. Sed quia &c.

(b) *Edit.* Extemplo.

(c) *Edit.* Erectum: adeo ut magnis passibus gradiens, suos desertores mox assequeretur. Illi autem tanto miraculo attoniti, se ipsos accusare, vehementerque redarguere coeperunt, quod coelestis remedii beneficio dignum, ita pigri inclementesque deseruissent.

Consuetudo, ut meminimus, praefatae congregationis fuit, ut foeminae omnes ab ingressu monasterii arcerentur. Id circo &c.

incipit mirabili modo, non pedetentim quidem, sed gradatim post terga euntium sequi, relinquentium currere per se, ad sanctum de incolumitatis dono gavisus pertingere satagens. Cùmque venisset, attoniti qui se paulo praecesserant, quique solo juvante absque pietatis respectu dimiserant, mirari coeperunt, et an idem esset eundem incunctanter coeperunt inquirere. Ipse verò et se idem esse contestabatur, et laudans gratulabatur non eorum adjutoriis, sed alimi martyris Christi Vincentii meritis gloriosissimè se sanatum esse. Illi autem facti miraculi considerato misterio, seipsos accusare vehementerque redarguere coeperunt, cur coelestis remedii beneficio dignum ita pigri inclementesque deseruerint, nec se utique arbitrati sunt dignos, qui tantâ mercede remunerationis invenirentur accepti.

LECTIO.

Mos est, ut meminimus, ex antiquâ consuetudine praefatae congregationis foeminas omnes ab ipsius loci ingressu quiescere. Idcircò ejusdem coenobii fratres (*a*), ne idem sexus illuc sedule confluens, si à sancti martyris arceretur praesentiâ, scandalum repulsionis pateretur, hoc prudenter consilio decreverant quatenus, ut praemissum est, beati levitae et martyris corpus in supradictâ poneretur Dei genitricis basilicâ, donec venientibus satis fieret mulieribus. At verò defluxo tempore, et hujusmodi conventu per dies cessante, intulerunt illum (*b*), cùm

(*a*) *Edit.* Fratres prudenter providerant ut corpus B. Vincentii levitae et martyris in basilicâ Dei genitricis Mariae poneretur, ad quam liber erat mulierum accessus. At verò successu temporis conventu hujusmodi per dies cessante.

(*b*) *Edit.* Illud in seniorem monasterii &c.

visum fuerit, ab officii congruentia maximè in septentrionem monasterii ecclesiam, atque retrò altare beati Benedicti, donec ejus templum consumaretur (a) honorifice collocantes, deposuerunt. Post hæc mulier ab annis plurimis coeca (b) advenions, ut audivit quid actum erat, lacrymosis vocibus adeo deflens ingemuit, se omnium miserrimam esse mulierem inclamitans, quæ sola tanti medici diligentia inveniretur aliena: sed inde sedato spem sibi salutis in hoc ipsum ad postremum mulier concepit, si quocumque modo, vel contumeliose rejicienda, locum quo sanctus jacebat, vel impudens attemptaret. Ducente denique se previo, ecclesiae limini jam pedem inchoaret inferre, quidam transiens omnimoda communicatione prohibens vetuit, ne ullo modo quod nulli licebat foeminarum praesumeret. Invenientemque repulit atque retrorsum moestam abire coegit. Quae suspirans, ac ad coelum, inde fiduciam habens, occulos mentis erigens, sancti martyris sibi provenire supplex orabat solatium, sicque inter lacrymarum flumina veluti eandem coecitatem explorans, videndo recessit, atque semina plorationis cum exultatione metens, provido gressu gaudendo repedavit.

LECTIO.

In quodam loco eidem coenobio adjacenti, qui Vulgari (c) Cella nuncupatur, hoc memorandum floruit (d)

(a) *Edit.* Consumaretur posuerant.

(b) *Edit.* Caeca conata est usque ad locum quo sanctus jacebat, ingredi: sed quidam obvians hanc repulit, atque retrorsum moestam abire coegit. Quae suspirans, ac ad coelum oculos mentis erigens, sancti martyris sibi provenire supplex orabat solatium. Sicque inter lacrymarum flumina caecitatem expulit.

In quodam loco &c.

(c) *Edit.* Waldarii Cella.

(d) *Edit.* Enituit.

magnae virtutis præconium. Secus (*a*) enim ipsius loci confinio, multo exercitus agmine casu influente, qui ibidem degebant fratres, Ermengaudum Albiae comitem adiunt, orantes ut sata condaminae (*) quae in latere ipsius cellulae sita habebatur, ab hostium invasione equorumque depastione, suâ tutelâ servando protegeret. Prata (*b*) namque illis in partibus, aut nulla, aut certè invèniantur rarissimè. Qui præcepit ex pallis sancto Vincentio à pauperculis mulieribus anteriore tempore oblatis, quatuor totidem virgis alligari, sicque in circuitu jam florentis agri pariter cum ipsis affigi, quatinus eo signo à messis direptione hostes temperare deberent. Non tamen defuit super quem

(*a*) *Edit.* Secus etenim ipsum locum diffusis militum copiis monachi Ermengaudum Albiae comitem adierunt, orantes ut ab hostium invasione, equorumque depastione eorum sata protegeret.

(*) *Condaminae.* Edit. Mabillonii *condominae*. *Condomina*, *condimina*, vel *condomina*, scriptoribus infimae latinitatis, quasi *Condominium* à jure unius domini dicta est, vel ut alii volunt, quasi *campus domini*; à voce celticâ *camp* aut *con* (campus). Actâ consecrat. eccl. Urgellensis ann. 819. (ex chartular. ejusd. eccl.) *Condotamus etiam* condaminam *propè hortum S. Mariae, et aliam contiguam* condaminam, *et hortum praefatae* condaminae *adhaerentem.* Donatio Avae comitissae Barcin. ad monast. Cuxanense ann. 941. (ex chartul. ejusd. monast.) *Tradimus ad jam dictum monasterium hortos duos cum arboribus, condaminas tres.* Eadem notione usi sunt vocibus *contaminea*, *contamina*, *contamina*, *condoma*, *condumus*, de quibus videsis Gloss. Dufresn.

(*b*) *Edit.* Nam in illis partibus per pauca extant prata. Qui quatuor pallas ecclesiae S. Vincentii à pauperibus mulierculis oblatas praecipit assumi, et totidem baculis seu perticis alligari, atque in circuitu florentis agri affiigi, quatenus eo signo à messis direptione hostes temperarent. Sed unus eorum tale signum despiciens, pallam unam cum baculo in terram excussit, et ab equo, quem in ipsa sata inducere nitebatur, versis calcibus in fronte percussus, spiritum exhalavit,

virtus animis et salubris castigatio exhiberetur coeteris. Denique hostium unus vissis virgulis palliisque (*) desuper positis, quasi admirans, quidnam hoc fore vellet, conquisivit. Sed cognito quod tali signo seges illa beati levitae et martyris Vincentii tueretur, excusso pede, virgam leviter impulit, atque quod gestum fuerat, superbiâ turgidus, despectui habens, pallam unam simul cum virgâ praesumptuosus satelles in terram excussit, statimque veritatis examine id prosequutum est, quod dignum rationis memoriâ praedicandum in futuro servetur. Equus verò, quem perversâ mentis obstinatione satis inducere laborabat, perseveranti reluctatione, asinam illam immitando Balaam, simili ferè modo prohibitus restitit, ac se pronuntiante ut iret, versis calcibus in frontem percussit, ita ut luminibus occulorum primum evulsis, mox spiritum exhalaret. Quo audito, nec non et admirandâ proclamatione per hostes diffamato, timor universos invadit, evidensque Dei judicium sanctique martyris meritum ubique evidens praedicatur à cunctis.

(*) *Palliisque.* Palliam vel pallam, *mappam* interpretantur Breulius et Bollandus; vel quae altari substernitur, quam *frontale* alii vocant; vel quae sacra Christi munera contegit, quam *corporale* appellant statuta synodalia Guidonis episc. Helen. (concil. Hisp. t. III. p. 595.) Hanc verò pallam contra incendia deferri solere, quemadmodum hic adversus hostium direptionem, testantur idem Aimoinus in *Miraculis S. Benedicti lib. I. cap. IX.* (Act. SS. ord. S. Bened. saec. IV. p. II. p. 365.) Rupertus abbas in opusc. *De incendio tuitiensi*, Rodulphus Glabrus *Historiae lib. V. cap. I.* ubi pallam *chrismale* appellat. Cons. *consuetud. cluniacens. lib. II. cap. XXX.* Fortè hic *pallam* vel *pallium*, velum illud intelligit, quo sanctorum et honoratorum tegebantur sepulchra. Palla *sepulchri S. Martini* apud Gregorium Turonensem (Hist. Franc. l. V. c. 48.) *Pallia lectorum* apud Eutropium (lib. IX.) Moris hujus meminit S. Hieronymus in *Vita S. Pauli erem. et epist. XXV. cap. I.*

LECTIO.

Nec (a) minus extimo recolendum quod vix videtur comparabile factum. Dompnus igitur Albericus, monachus, pro suâ reverentia tali appellatione condignus, dum cum alio secum fratre, Elias nomine, in pagum perrexisset Impuriensem, atque ibidem in villâ suae obedientiae, quae Garriculas nuncupatur, immoraretur, hostes supervenientes eundem pagum et villam, nemini parcentes, sed universa crudeliter depopulantes invadunt. Ventum est ergo ad equos praefati domini Alberici monachi auferendos, quos nullus potuit quin tollerentur precibus obtineri. Iterumque unus ex eis qui valentior videbatur, supplex accedens, expostulat, quatinus sibi vel unus equus ex omnibus reliqueretur. Qui dum superbiae contumax, nec ad justi viri humiliter petentis verba dignaretur respicere, confestim eodem in loco dignum ultionis incurrit supplicium. Equus namque illi antepositus suus proprius, divino stimulatus judicio vindex affuit, calcibusque in nudo capite percussum mortaliter stravit. Quo facto iniquitatis socii (b) praesentes absentesque ad animo usque perterriti, non solum equos, verum etiam quidquid in

(a) *Edit.* Huic facto propemodum simile est quod sequitur. Nam domno Alberico monacho cum frater Helia in pagum Impuriensem profecto, atque in villa suae obedientiae, Garriculà nuncupatà, commorante, supervenerunt hostes qui pagum villamque, nemini parcentes, depopulati sunt. Quin etiam equos ipsius Alberici abduxerunt, nec impetrare potuit ut saltem unus, quem robustiorem noverat, redderetur. Sed ipsemet equus qui postulabatur, quasi vindex duplicis injuriae, raptus, inquam, et justae repetitionis, raptorem calcibus in nudo capite percussum, morti tradidit. Quo facto &c.

(b) *Edit.* Socii perterriti.

eadem villâ rapuerant; relinquentes, aufugiunt (a), nec prorsus jacentem socium levare conantur. Monachi verò cadaver adhuc spirans tollentes, post aliquantulos dies supremum ei humanitatis impendunt officium, Deum magnificè collaudantes, sanctique levitae et martyris victoriale nomen gloriosè benedicentes. Siquidem adnichilatis precibus adjuraverat eum idem memorabilis vir dompnus Albericus monachus, per virtutem et reverentiam nominis ejusdem sancti martyris, ne ullo modo equos contingeret.

Quia longum est cuncta perstringere, et non fortè videamur fastidiosa potiùs legentibus, quàm delectabilia apposuise, hac subjectâ similis sancto evangelio sententiâ finem libellus accipiat: Georgius quidam vir illuster hoc ipse certum referebat, quod à nobis meritò praeclarum adjudicatur. Aiebat quippe, quod omnes quoque ad fines ejus bene noverant, servum scilicet se habuisse debilem à nativitate surdum et mutum. Qui dum à saepe dicti sancti levitae et martyris Christi dulcis memoriae beati Vincentii duceretur auxilio, in viâ positus jam non amplius à monasterio quam duodecim fermè millibus distans, eodem proculdubio digito, eodemque divinitatis sputo, quo ille evangelicus quondàm surdus et mutus mederi promeruit, attrectatus; mox evidenter cum quibus ibat exorsus est loqui de itineris spatio, quod ejus prolixitate gravaren-

(a) *Edit.* Aufugerunt.

Sequens exemplum de muto et surdo curato finem imponet. Georgius quidam vir illustris, servum mutum et surdum habuit: qui cùm ad sepulcrum S. Vincentii levitae et martyris duceretur, nec amplius à monasterio quàm duodecim ferme millibus distaret, coepit loqui, loquentesque absque impedimento audire. Tunc comites rogavit ut eum citò ad locum, ob referendas sancto martyri grates perducerent. Quod et fecerunt, ad gloriam et laudem Dei et &c.

tur, pectoris etiam reseratis occulis gemens indoluit. Unde illis mirabiliter stupentibus, atque de spatio viae quantum adhuc superesset eum docentibus, rogant jam loquentem quatinus an eorum insuper verba sentiret, responsis ediceret. At ille congruâ satis et manifestâ ratione se quoque audire confirmans, monet sollicitè quatinus eum citius ad locum ob referendas sancto martyri grates, ea quae coeperant humanitatis gratiâ, perducerent. Quod et fecerunt ad gloriam et laudem Dei et Domini nostri Jesu Christi qui sanctos suos ita mirabili potentiâ ubique triumphat (*a*). Cui honor, virtus et imperium sine fine permanet in saecula saeculorum. Amen.

Ejusdem Aimoini Carmen de eadem S. Vincentii translatione (*b*).

Levitarum praecipuo domno Teodoro (*c*), juxta consonam sui nominis ethimologiam, Deum gerenti, Aymoenus (*d*) comminister salutem dicit.

Laudabili caritati vestrae, mi dulcissime Teodgere, frequenti studio circa mei curam satagenti, in omnibus parere devotus existens, inclino me tuus camelus sponte, ad injunctum michi abs te onus ferendum. Rem siquidem novam et pro sui brevitate mirandam, prosaico, opere expleto, me vestra dilectio de adventu beati levitae Vincentii et martyris Christi coegit (*e*), geminos scilicet rursus libellos: quos singulos tricennis modo versibus claudam, per denos etiam positis in unoquoque capitulis. Unde consultius eligo veluti recens scriptor videri, quàm me

(*a*) *Edit.* Triumphare facit: cujus honor et imperium.
(*b*) *Edit. addit*: Praefatio ad Theotgerum monachum.
(*c*) *Edit.* Theotgero.
(*d*) *Edit.* Aimoinus.
(*e*) *Edit.* Facere cogit.

vestro amori, michi melle dulciori, quavis occasione ullo modo absentari.

Bis quadrigentis, deciès quinisque volutis,
Quatuor inque supereyclis à praesule Christo,
Virgineò semperque sacro de germine nato,
Audaldus fuerat tali de nomine gnotus (*a*)
In Castro monachus, communi lege probatus,
Atque sacer sancti gestans Aaronis honorem.
Hic uno comite assumpto perpes (*b*) amara
Plura; sed in dulces convertens cuncta sapores,
Institit audactes, quandoque Valentia civem
Quo se susciperet, peregrino funotus agone.
Quid (*c*) faceret Maurus (*d*) Zachariae culminis hospes,
Denudat secreta sui jam pectoris olli:
Esset quoque (*e*) Dei levitae martyris atque
Vincentii (*f*) Spanium solo delapsus amore:
Hinc precibus blandis animum mentemque relambens,
Mercatur Maurum cupidi nimis (*g*) argenti.
Denique surgentes monumenti septa requirunt:
Quae manifesta nitent titulo hoc: Vincentius (*h*) in isto
Martyr (*i*) et levita jacet fundatus honore.
Nomina namque genus signabant scriptura parentum.
His igitur causis signorum nocte revisis,
Viris (*k*) admissis fodiunt (simul) (*l*) tumbamque reludunt
Educunt (*m*) corpus sacrum, famulante lucernâ,

(*a*) *Edit.* Notus.
(*b*) *Edit.* Perpessus.
(*c*) *Edit.* Quod.
(*d*) *Edit.* Mauri.
(*e*) *Edit.* Quodque.
(*f*) *Edit.* Vincenti Hispanias.
(*g*) *Edit.* Numis.
(*h*) *Edit.* Vincentius istic,
(*i*) *Edit.* Martyrii levita.
(*k*) *Edit.* Viribus.
(*l*) *In edit. deest* simul.
(*m*) *Edit.* Educuntque sacrum corpus.

Indices (*a*) coelesti facti dulcedine veri,
Qui (*b*) super exercens aromata cuncta subibat.
Cumque ligaturis expletis his opus esset,
Utitur Audaldus sutâ sindone collula (*c*).
Inde domum laeti redeunt lucentibus astris,
Audaldo expectante diem patriamque (*d*) petenti,
Quod hilaris fecit, nactus post tempus amicum.
Caesar in Augustâ Senionis fraude relicto (*e*),
Omissis nec non aliis, ob dicere longum,
Ad castrum, bellam patris cellam Benedicti,
Pervenit (*f*) Christi martyr levitaque sanctus,
Cujus in adventu fuerint quae gaudia, nullus
Ora gerens centum poterit deprómere verbis.
A monachis pulchra satis susceptio qualis
Extiterit, solus qui testis novit Jesum,
Aptis aurifluis ornatibus undique fussis
Gemmivomo ad coelos usque irradiante virore (*g*).
Tunc risisse fuit mulier, cui talia factus (*h*)
Et sibi (*i*) corpus levitae credere nolens;
Esse magis Maurum contendens fortè putentem.
Protinus in terram membris prostrata caducis
Contrahitur, vitae sublata spe fugientis.
Sed sancto deducta fide nascente, medetur;
Et pedis (*k*) plaustro veniens, curata recessit.
Primitus hoc signo tantâ virtute patrato,
Post quaeque (*l*) numerus nescit, sunt plura secuta.

(*a*) *Edit.* Indice.
(*b*) *Edit.* Quae super excrescens.
(*c*) *Edit.* Cucullâ.
(*d*) *Edit.* Patriam repetendi.
(*e*) *Edit.* Relicta.
(*f*) *Edit.* Perveniat.
(*g*) *Hic versus deest in nostro cod.*
(*h*) *Edit.* Fastus.
(*i*) *Edit.* Et sancti.
(*k*) *Edit.* Pedibus.
(*l*) *Edit.* Post quoque, quae numerus.

Prosaico nec non partim sermone notata.
Jamque (*a*) monasterii ante fores genitricis in aulâ
Ista sub inmenso gerebantur munere Christi,
Dum fieret sanctum (*b*) templum proprio sub honore;
Quo placidus demum migraret jure sepulchrum (*c*),
Masculus atque simul veniens quod foemina adiret.
In tanta (*d*) placuit de fluxa temporis urna,
Inde lavare sacrum corpus, dignèque locari
Post altare pii sancti (*e*) patris Benedicti:
Quo meriti pleno cultu veneratur honoris,
Assiduis signis virtutum rite corruscans.

Praestante rege regum et domino dominorum Jesuchristo, bono, et benigno Salvatore mundi: qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat (*f*) per infinita saecula saeculorum. Amen.

II.

Instrumentum publicum fundationis, et donationis monasterii carthusiensis ordinis, prope Segobricam urbem, nuncupati Vallis Jesu Christi, *factae à D. Petro IV, Aragonum rege, ejusque filio Martino, anno 1386.*

EX AUTOGR. EJUSD. MONASTERII.

In Dei nomine et Beatae Virginis Mariae ejus matris, et omnium civium supernorum, pateat universis quod nos Petrus Dei gratia rex Aragonum, Valentiae, Mayoricarum, Sardiniae, et Corsicae, comesque Barchinoniae, Rosilionis, et Ceritaniae, providè attendentes quod cum ab

(*a*) *Edit.* Namque.
(*b*) *Edict.* Sancto
(*c*) *Edit.* Sepultum.
(*d*) *Edit.* Interea.
(*e*) *Edit.* Patris sancti.
(*f*) *Edit.* Regnat Deus.

adolescentiâ prona sit natura hominis ad peccandum, diversis inquinamentis obnoxia vitiorum; paravit nobis clementia Creatoris opera charitatis, per quae possemus nostros delere reatus, et ad vitam aeternam gloriosius pervenire. Inde est quod nobis semper persuadere intendimus quae nobis magis expedire, ac Deo magis grata cognoscimus et accepta. Quàm gratum ergo et quàm placabile Deo sit orationis aedificare domum, et ipsam condecentibus reditibus premunire, ut fratres ibi Altissimo servientes vitam sustentare possint eorum; et ex Moysi meritis, qui tabernaculum Deo in deserto erexit, et ex Salomonis *numatione* (*a*) qui templum Jerosolymis Deo construxit, animadverti faciliter potest, atque perpendi. Ex hoc namque facie ad faciem Deum alter videre promeruit, et alter sapientiam misericorditer sibi dari. Et quamvis omnis eleemosyna redemptio sit peccati, et culparum omnium remissionem obtineat; illa tamen salutem aeternam perpensius operatur, quae in ecclesiarum aedificationem, et divini cultus operationem effunditur; quia alia eleemosyna gratis datur, haec autem quasi per debitum imputatur, Domino per Moysen dicente: *Omnis vir, sive mulier pio animo, et hilari voluntate offerat in opus tabernaculi aurum, et argentum* &c. Ad misericordiam enim pauperibus impendendam salubriter admonemur; ad ecclesiam autem construendam seu instaurandam auctoritate divini eloquii cogimur, et urgemur. Quamobrem ob devotionem, quam ad ordinem cartusiensem à multo citrà tempore gerimus, scientes quod inclitus infans Martinus, natus noster charisimus, comes de Exerica, et de Luna, ac dominus civitatis Sugurbii obtinuit concessionem à venerabili fratre Guillelmo, priore

(*a*) *F. numeratione*, aut *nominatione*, quasi à Deo nominatus ea in rem, aut peculiariter electus Salomon extiterit.

cartusiensi, construendi, et aedificandi unum monasterium ordinis supradicti: tenore praesentis publici instrumenti, sive privilegii perpetuo valituri, consentiente ad haec, eaque approbante dicto infante Martino, instituimus, construimus, et fundamus domum, seu monasterium quoddam ordinis praelibati in loco, vidilicet, nuncupato vulgariter *Canoyes*, sito in orta loci de Altura, Sugubricensis dioecesis, qui est praedicti infantis. Quae quidem domus, seu monasterium *Vallis Christi* ex nunc omni tempore nuncupetur, et volumus nuncupari, ad instar, et devotam memoriam illius vallis sanctissimae Josaphat, in qua indubitanter, atque fideliter credimus dominum Jesum Christum personaliter super nubem candidam in die judicii cum angelorum et beatorum multitudine apparere: ut pro bonis gratiâ Dei factis, et ammodo faciendis per nos, ad dexteram collocari nos faciat cum bonis. Et pro vitâ et sustentatione prioris, monachorum, et fratrum qui nunc sunt, et erunt pro tempore in monasterio ipso, concedimus, et donamus, ac devotè offerimus omnipotenti Deo, et monasterio supradicto, et ejus conventui perpetuò, donatione purâ, perfectâ, et irrebocabili inter vivos, duos mille solidos regalium Valentiae annuales, vendales, et perpetuales, in plenâ perceptione habendos, et percipiendos per ipsos monasterium et conventum singulis annis francos, liberos, et exemptos ab omni onere, et servitio regali, et vicinali, et alio quolibet, principaliter in et super herbagio villae de Egerica, quod est praedicti infantis, et generaliter in et super omnibus aliis, et singulis redditibus, et juribus dictae villae, et aliorum locorum, quae dictus infans habet, et possidet in regno Valentiae. Statuentes, providentes, et volentes omninò, quod prior dicti monasterii, qui nunc est, et pro tempore fuerit, seu alius quicumque, quem ad hoc idem prior elegerit, intersit, et interesse habeat, unà

cum Bayulo dictae villae, venditionibus seu arrendamentis fiendis de cetero de herbagio, redditibus, et aliis juribus, et quod factis vendictionibus, seu arrendamentis praedictis, statim emptores, seu arrendatores herbagii, et reddituum, ac jurium praedictorum cautionem praestent, et praestare teneantur idoneam monasterio, priori, et conventui supradictis, de solvendo ipsis vel cui voluerint, annis singulis ex pretio venditionum, seu arrendamentorum ipsorum terminis comprehensis, duos mille solidos supradictos, prout melius, utilius, et firmius ad utilitatem dicti monasterii fieri poterit, et dictari. Praeterea concedimus, et donamus eisdem monasterio, et conventui rationibus supradictis donationem praedictam ad in perpetuum pro francho, et libero, ac exempto allodio ab omni onere, et servitio regali, et vicinali, et alio quovis, molendinum dictae villae de Exerica, vocatum *lo Moli de Exerica* cum domo in qua est constructum, ac aedificiis, exartiis, et artificiis ejus, et cum aquâ qua molitur, et omnibus juribus, et pertinentiis suis. Quod quidem molendinum, et etiam dictos duos mille solidos censuales, et vendales habemus, et nobis pertinent pleno jure, titulo emptionis, quam ei praedicto infanti noviter fecimus de eisdem, cum instrumento recepto per Berengarium Sarta, protonotarium suum, ut in eo plenius est contentum. Et hanc donationem, concessionem, et asignationem facimus perpetuò monasterio, et conventui antedictis de praedictis duobus mille solidis, vendalibus, et annualibus, et molendino praedicto, sicut melius dici potest, et intelligi, ad omne ipsorum comodum, et salvamentum, ac bonum, et sanum, sincerumque intellectum. Et extrahimus praedicta omnia singula de jure, dominio, proprietate, et potestate nostri et nostrorum, et praedicti infantis, et suorum. Eademque omnia, et singula in praedicti monasterii, et con-

ventus jus, dominium, proprietatem, et potestatem mittimus, et transferimus irrevocabiliter, pleno jure ad habendum, tenendum, omnique tempore franchè, quietè, et liberè, atque pacificè possidendum, tanquam rem propriam eorumdem. Et ex causâ fundationis et donationis hujusmodi damus, cedimus, et mandamus praedictis monasterio, et conventui omnia loca nostra, et dicti infantis jura, voces, vices, et actiones reales, et personales, mixtas, utiles, et directas, et alias quascumque nobis, et praedicto infanti competentes, et competere debentes in praedictis, quae supra donamus, et concedimus, et contra quascumque personas, et res ratione earum, Quibus locis, juribus, vocibus, vicibus, et actionibus nostris praedictis possint monasterium, et conventus praedicti uti, agere, et experiri in judicio, et extra judicium, in curiâ, et extra curiam, agendo, et respondendo, defendendo, tenendo, et etiam possidendo, et in cunctis aliis modis, quibus et quemadmodum nos, et dictus infans poteramus ante donationem, et jurium cessionem hujusmodi, et possemus, seu posset nunc, et etiam postea quomodocumque: quoniam nos instituimus ipsos monasterium et conventum in et super praedictis dominos, et procuratores, ut in rem propriam eorum ad faciendum inde suae libitum voluntatis, purè, liberè, et absolutè, et sine aliqua retentione nostri et nostrorum, et dicti infantis, et suorum, ac alterius cujuscumque personae: inducentes ipsos de praedictis omnibus in corporalem possessionem, seu quasi. Ulterius volumus, et ipsis monasterio, priori, et conventui hujus serie ducimus concedendum, quod in et super praedictis, quae sibi concedimus, et donamus, habeant deinceps de cetero omnem districtam cohercitionem, et executionem, pro ut melius, et plenius ea nos, et dictus infans ante donationem hujusmodi habebamus.

Ob quae si, et quoties voluerint, possint iidem prior, et conventus libere habere recursum de, et pro praedictis ad nos, seu gubernatorem nostrum regni Valentiae praesentem et futurum, qui pro praedictis et ratione eorum possit et habeat facere, seu facere fieri executionem expeditam contra quoscumque, et compulsiones quaslibet, et distrietus omni obstaculo quiescere. Promittentes in nostrâ bonâ fide regiâ, ac jurantes per Dominum Deum, et ejus sancta quatuor evangelia, corporaliter manibus nostris tacta, quòd fundationem, donationem, et concessionem praesentes, et omnia, et singula supra et infra contenta tenebimus, observabimus, attendebimus, et complebimus firmiter cum effectu, et numquam contra faciemus, vel veniemus aliquâ ratione vel causâ; et de certâ scientiâ renuntiamus expressè omni foro, rationi, et consuetudini hiis repugnantibus quovis modo. Ceterum si quis forsan in praesenti contractu ratione solemnitatis omissae, vel aliis posset opponi vel impingi defectus, nos defectum eundem supplemus de plenitudine nostrae regiae potestatis: decernentes, et volentes hunc nostrum contractum, et actum, vicem, virtutem, et efficatiam legis habere, ac etiam privilegii robur cunctis temporibus valituri, et obtinere perpetui roboris firmitatem. Non obstantibus quibusvis privilegiis, statutis, foris, ac concessionibus, nec quibuscumque juribus adversantibus, seu contrariis ad praemissa; quoniam nos privilegia, et alia supradicta, quatenus possent hiis obviare, de nostrae potestatis plenitudine tollimus, et penitus revocamus, et pro revocatis, et sublatis habemus omninò, eaque decernimus non obstare. Et ego dictus infans Martinus, vestri domini regis humilis filius, piorum operum cupiens esse participem, et consortem, praedictis, fundationi, donationi, assignationi, et aliis omnibus, et singulis supradictis consentio, eaque gratis,

et ex certâ scientiâ approbo, laudo, et firmo. Et etiam pro securitate, et uberi cautelâ dictorum monasterii et conventus, herbagium, et molendinum praedicta, quoad haec pono, et submitto foro, districtui, et jurisdictioni praedicti gubernatoris regni Valentiae, qui in hiis habeat plenam et omnimodam potestatem; promittens, in meâ bonâ fide pro me, et meis haeredibus, et succesoribus, ac etiam jurans in animam meam per Dominum Deum, et ejus sancta quatuor evangelia per me tacta, omnia, et singula supradictâ mé ratta habere perpetuò, atque firma, ac tenere firmiter, et observare, et non contra facere vel venire aliquâ ratione, vel causâ, sub bonorum meorum omnium ypotheca. Haec igitur omnia et singula supradicta, prout continentur superius, nos dictus rex, et ego dictus infans in manu, et posse notarii infrascripti, tanquam publicae personae, haec à nobis stipulantibus pro omnibus illis, quorum interest, vel poterit interesse. Quod est datum, et actum Barchinone die 7. Januarii anno à Nativitate Domini 1386. regnique nostri domini regis 51. Rex Petrus. Signum ✠ Petri Dei gratia regis Aragonum, Valentiae, Mayoricarum, Sardiniae, et Corsicae, comesque Barchinoniae, Rosilionis, et Ceritaniae, qui haec laudamus, firmamus, et etiam juramus, huicque publico instrumento sigillum appenditum bullae nostrae plumbeae apponi jubemus in testimonium praemissorum.

Signum ✠ infantis Martini, comitis de Exerica, et de Luna, et domini civitatis Sugurbii, praedicti domini regis filii, qui praemissis consentio: eaque omnia laudo, firmo, et juro: et huic etiam instrumento meum sigillum apponi jubeo suppendenti. Infans Martinus. Testes sunt qui fuerunt ad praemissa praesentes, frater Joannes archiepiscopus Turritanus, confesor. Nobilis Hugo de Angularia, Camerlengus, et Jacobus March, armorum Ugerius domini

regis, jam dicti, et Eximinus Petrus de Arenchio Camerlengus domini infantis praefati.

Signum ✠ Bartholomaei Sirvent, praedicti domini regis secretarii, et auctoritate ipsius notarii publici per totam terram, et dominationem ejusdem, qui praemissis interfui, eaque de sui mandato scribi feci, et clausi.

Instrumentum publicum fundationis monasterii cartusiensis ordinis, nuncupati S. Mariae Portae coeli in Valent. dioecesi, facta ab Andraea de Albalat episc. Valent. ann. 1272.

EX LIBR. COLLAT. CUR. ECCLES. VALENT. ANN. 1317. FOL. 98.

Hoc est translatum, benè et fideliter sumptum XI. kal. Maii anno Domini 1317 à quodam publico instrumento cujus tenor talis est. = Noverint universi quòd cùm sit pium ac animarum saluti congruum, ac etiam fructuosum, cultum divinum augeri, quo Dei omnipotentis clementia potius excitatur, peccatorum contagio ac delictorum labes diluitur, venia sive remissio obtinetur; idcò nos Fr. Andraeas, divinâ miseratione Valentiae episcopus, attendentes quod animarum salus ab his maximè quibus ipsarum cura commissa dignoscitur, debet praecipuè procurari: attendentes etiam quod Deus omnipotens, sine quo nihil est validum, nihil stabile, de illorum manibus plura requiret, quibus plura committenda decrevit, nostrae et aliarum animarum saluti, quarum curam suscepimus, providere volentes, ac nostros supplere seu relevare defectus, ad honorem Dei, et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, et beatissimae ac gloriosae Virginis Matris Christi, ob remedium animae nostrae, et incliti

ac magnifici domini regis Jacobi, et illustris infantis Petri ipsius primogeniti, et felicis memoriae dominae Elisabethae, quondam reginae Franciae filiolae nostrae: ac bonae memoriae domini Petri quondam Terraconensis archiepiscopi, rev. patris ac carissimi germani nostri; et *Isabet* Eximii (f. Ezimini) Petri de Arenoso quondam defuncti (et) parentum nostrorum, benefactorum, ac omnium fidelium defunctorum: de assensu et expressâ voluntate nostri capituli, statuimus, ordinamus, et aedificamus monasterium ordinis carthusiae in loco vocato hactenus *Lulen*, Valentinae dioecesis, quem deinceps vocari decrevimus *monasterium sanctae Mariae Portae coeli*, ubi sit prior et conventus ejusdem ordinis, super quo gratiam obtinuimus à priori et capitulo generali carthusiensibus. Quod quidem monasterium dotare intendimus juxta possibilitatem et gratiam à domino nobis datam; qui prior et conventus praedicti monasterii sanctae Mariae de Porta coeli praesentes et futuri, pro vivis et defunctis, et specialiter pro domino papa ac universis etiam Dei praelatis ac principibus, Dei ecclesiam ac fidem catholicam sustinentibus, et potissimè pro animabus praedictorum et nostrâ, quotidiè divina officia debeant celebrare: nobis ac successoribus nostris ecclesiae Valentinae episcopis, tanquam patronis ipsius monasterii debitam reverentiam exhibentes, salvis in omnibus, privilegiis suae ordinis statutis, ac de caetero statuendis. Retinemus etiam de assensu ipsius capituli, quod prior et conventus ipsius monasterii et sui successores nobis et praefato capitulo, ac nostris successoribus, ratione decimarum dicti loci de *Lulen* et terminorum suorum, teneantur dare nobis et successoribus nostris, annis singulis, in festo quolibet sancti Michaelis Septembris decem solidos monetae regalium Valentiae, et sic dictam decimam dicti loci de Lulen, et terminorum suorum, nobis et dicto capitulo pertinentem ali-

quo modo, habeant prior dicti monasterii et conventus ejusdem ad omnes suas voluntates liberè faciendas, absque omni retentu nostro, capituli dicti, et successorum nostrorum in perpetuum, quod pro praedictis in hiis nos facimus, vel facere intelligimus aliquo modo. Quod est actum Valentiae octavo idus Septembris, anno Domini millessimo ducentesimo septuagesimo secundo.

III.

V. D. Bonifacii Ferrer, Valentini, S. Vincentii Ferrer germani fratris, et quondam magnae domus carthusiae prioris, opuscula quatuor inedita.

1. Quare carthusienses non comedant carnes.
2. De miraculis, et sanctis in carthusiâ.
3. De approbatione, et confirmatione carthusiae.
4. De caeremoniis in carthusiâ.

ADMONITIO PRAEVIA.

Sequentia quatuor opuscula Bonifacium Ferrerium auctorem haud dubium habent. Priora quidem tria nonnulli Gersoni adscribunt, quod iisdem titulis distincta inter ejus opera reperiantur (*Tom. II, part. V. edit. Antuerp. 1706.*). Re tamen vera, quae modò lectori sistimus, nostri Bonifacii esse constat. Ac primum illud quidem, quod de esu carnium apud carthusienses agit, si cum Gersoniano ejusdem argumenti conferatur, immane quantum ab illo distat. Nam dum Gersonus, carthusianis devotissimus, eorum hac in causâ apologiam magno argumentorum pondere agit, Bonifacius hic noster idem opus simplici duorum miraculorum enarratione conficit. Nempe ille

exteros homines, ac versutos quidem ejus ordinis calumniatores aggrediebatur; hic vero simplices sodalium suorum animos informare curabat, et ab esu carnium penitus arcere. Hujus praeterea opusculum vix decimam Gersoniani partem habet. Itaque suum quisque opus adornavit, nihil ab altero mutuatus.

De secundo autem ac tertio opusculis aliud esto judicium. Quippe ex utriusque scriptoris collatione liquidò appareret Gersonum Bonifacii opellas suum in usum contraxisse, ac schedas quidem inter adversaria repertas, pro genuinis ejusdem foetibus habitas fuisse. Quod, praeter orationis ordinem, ac styli analogiam, suadet tertii opusculi exordium, ubi nostri MS. auctor in negotiis sui ordinis procurandis ob instantem generalis capituli celebrationem valde occupatum sese prodit, quae Gersoni convenire quis putet? Innuit quoque ibidem quartum opusculum se conscripsisse, quod est *de caeremoniis in carthusiâ*; ac unà cum tertio mittere; atqui quartum illud indubitatum D. Bonifacii opus est; quidni et tertium? Verum ut ut haec omnia deessent, praesto sunt doctissimorum virorum quam plurima testimonia, duplex opusculum, secundum nempe, et tertium, Bonifacio attribuentium, ac Gersoni abjudicantium. Nam praeter Sutorem (*de vita carthusiana*), Madariagam (*in vita S. Brunonis*), Trithemium, et Possevinum, insigne est Teoph. Raynaudi testimonium, qui (*Trinit. Patriarcharum punct. XI. num. 17.*) de S. Brunone agens quem vocat *Stylitam mysticum*, post innumera SS. pontificum in ordinem carthusiensium charitatis pignora enarrata: *Audisti*, ait, *quot pontifices carthusiense institutum exornaverunt, et privilegiis amplissimis communiverunt. Quis crederet futuros, qui effutirent ordinem carthusianum non esse à sede apostolicâ approbatum? ita ut opus fuerit Bonifacio Ferrerio, S. Vincentii germano, lu-*

cubratione quadam, Gersoni falsò adscriptâ, eam insulsitatem depellere? Et haec quidem de tertio opusculo. De secundo verò, cur scilicet infrequentia sint apud carthusianos miracula, haec habet (punct. X. §. 2. n. 2.). *Extat de eodem argumento opusculum Bonifacii Ferrerii, germani S. Vincentii, perperam adscriptum Gersoni, ejusque secundae parti insertum.*

His omnibus addere non pigeat Bonifacium nostrum anno 1410 ab Gallis perpetuò recessisse, ac 1417 obiisse, duodecim nempe ante Gersonis obitum annis. Quid quod anno 1425 in carthusiâ Portae coeli apud Edetanos, eidem tamquam vero auctori omnia haec opuscula adjudicata exstabant, cùm scilicet omnium codd. MSS., quae ibidem asservabantur, catalogum edidit D. Petrus Ferrer, ejusdem domus prior? At perierunt illa, vel furto sublata, vel bellorum incursionibus alìò asportata. Nobis autem exemplar quóddam nancisci licuit ex carthusiâ Vallis Jesu Christi prope Segobricam, unde illa subjectis notulis emendata publici juris facimus.

I.

Quare carthusienses non comedant carnes.

Quia dicunt nonnulli religiosi, et seculares admirantes quare monachi carthusienses in infirmitate constituti, non comedunt carnes, sicut monachi sancti Benedicti, et aliorum sanctorum patrum, et ob hoc obloquuntur contra sanctum ordinem: ideo sciant tales, et diligenter attendant, et omnis fidelis devotus christianus, quòd non sine divino nutu, presertim propter duo miranda quae operatus est Deus in Magnae carthusiae domo, ostendit hoc ordinatum esse, et per summum rom. ecclesiae praesulem

approbatum: quorum miraculorum primum tale est. Proponentes S. Bruno, et sex socii ejus mundum, et pompam ejus deserere, et nudi nudum sequi Christum, in eremo venerunt ad virum venerabilem S. Hugonem episcopum Gratianopolitanum, et sibi eorum propositum propalarunt, qui auctoritate, quâ fungebatur summi pontificis, tradidit eis sanctum habitum, et in illum magnum montem ubi vidit septem stellas fulgentissimas de coelo cadentes, aedificavit eis cellulas juxta morem sanctorum antiquorum patrum, in quibus per spatium temporis Deo servierunt, et edebant tunc carnes, quas praefatus pontifex eis ministrabat, et necessaria corporis. Consueverat dictus episcopus semper in adventu, et quadragesimâ visitare dioecesim suam, et secundâ feriâ post dominicam quinquagesimae recomendans se orationibus sanctorum virorum recedebat, et revertebatur feriâ quartâ sanctâ, et faciebat coenam, et mandatum cum ipsis. Accidit quadam vice in dominicâ quinquagesimae, persoluto divino officio, et factâ horâ prandendi, B. Bruno, ut consueverat, benedixit mensam; quâ benedictâ, dixit B. Bruno, quod non aliàs dixerat: Attendamus nobis, fratres carissimi, quia antiquus hostis nos decipit. Nos ad hoc venimus in eremum ad faciendam poenitentiam, sicut Paulus primus eremita, Antonius, Hilarion, Machariùs, Arsenius, et alii sancti patres, qui carnes non manducabant. Nos diebus carnis semper edimus carnes, et comedimus carnes, quas iste S. vir nobis abundanter ministrat, et alia necessaria, et servamus ipsum; et similia verba dixit. Responderunt alii quatuor qui erant ex aliâ parte mensae, et dixerunt: Sumus nos majores, et meliores apostolis, quibus praecepit Dominus: *In quamcumque domum intraveritis* &c. *edentes quae vobis apponuntur?* S. Bruno, et duo socii, qui juxta ipsum erant, tenebant contrarium; et sic usque

ad vesperas disputaverunt, argumentantes pro, et contra super esum carnium. Tandem fatigati, et lassi propter longam disputationem, inclinaverunt se usque ad terram, et dormierunt usque ad feriam quartam sanctam. Redeunte vero episcopo, statim direxit nuntium ad sanctos viros, ut solitus erat, significans eis de suo redditu. Et appropinquans nuntius ad januam quae aperta remanserat, et videns ipsos dormientes juxta mensam, et carnes fumantes, scandalizatus est valdè, et cum magnâ indignatione reversus est ad episcopum, et ei retulit quae vidit. Episcopus non credens misit alium nuntium, qui reversus dixit sicut et primus. Adhuc direxit tertium nuntium. Qui reversus, dixit sicut primus et secundus nuntius. Respondens episcopus dixit: nisi oculis propriis videro, non credam. Et statim equitavit, et ascendit in montes. Et aproximans januae, et videns ipsos dormientes, et carnes fumantes, credidit quae dixerant, et fortiter scandalizatus est. Et ponens pedem in limine Cellae, mox B. Bruno, et socii expergefacti sunt, et reverenter salutaverunt episcopum, et devotas gratias sibi retulerunt de tantis bonis, quae eis ipse fecit, et facit &c. Dixit autem episcopus sancto Brunoni: pater, quae dies est hodie? Respondit S. Bruno: est dominica quinquagesimae. Et ait episcopus: et quare tardastis tantum ad manducandum? B. Bruno particulariter omnia sibi narravit, ut dictum est. Tunc episcopus dixit clam magistro domus, ut perpenderet diligenter, si sunt illae carnes quas in dictâ quinquagesimâ elapsâ ministravit eis; qui diligenter intuens, et carnes integras inveniens, dixit episcopo, quod illae carnes sunt, quas ipse missit eis. Tunc dixit eis episcopus: noveritis, fratres carissimi, quod hodie est feria quarta sancta; et praecepit asportari carnes. Quas cùm ipse vellet levare, versae sunt in pulverem. Quod videns episcopus, mox genua flexit ad pedes eorum, et petiit

veniam ab eis de falso judicio, quod contra eos conceperat. Etiam tota familia fecit simile. Et ab illo die dicti sancti patres determinaverunt de caetero non comedere carnes, et sic factum est. Postea haec fama sanctitatis dictorum SS. patrum dispersa est per totam regionem: ita quod multi singulares, et solemnes viri Spiritu Sancto inspirati intraverunt ordinem carthusiae, et cum adjutorio praedicti episcopi aedificaverunt magnum monasterium in loco ubi quatuor cellulae constructae fuerant. Et post modicum tempus circa suburbana montis et in circuitu quamplurima monasteria constructa sunt. Interea fama sanctitatis praedictorum SS. patrum divulgabatur in omni loco. Et audiens summus pontifex, qui Romae tunc praesidebat, famam sanctitatis sapientiae et scientiae S. Brunonis, cum consilio cardinalium fecit eum accersiri ad se. Et veniens cum duobus conversis, qui fuerunt socii ejus à principio, rogavit eum papa, ut moraretur secum ad regendam sanctam matrem ecclesiam. Qui nesciens inter seculares habitare, modico tempore moratus est. Et suggerente Spiritu Sancto cum dictis duobus conversis perrexit Calabriam, quae tunc erat infidelis, et idolis serviens: et cum adjutorio divinae gratiae, et signis et virtutibus multis, eos ad fidem catholicam convertit. Et multi Spiritu Sancto inspirati facti sunt monachi, et manserunt cum ipso, habitantes in speluncis petrarum. Post circulum verò dierum frater sancti Brunonis comes magnus ab angelo monitus, de Alammaniâ venit Calabriam ad videndum fratrem suum B. Brunonem, et viso eo gavisus est, et fecit unum monasterium nostri ordinis, in quo B. Bruno cum monachis, quos receperat, multo tempore habitavit. Quod monasterium adhuc durat, et appellatur monasterium S. Stephani de lo Bosco, et distat à civitate Mileti per unam dietam, in quo monasterio corpus ejus requiescit, sed in

quo loco penitus ignoratur. Ostenditur ciphus ejus, in quo quicumque infirmus biberit sanatur à quacumque infirmitate; quod monasterium tenent nunc monachi sancti Benedicti. Secundum miraculum tale est. Quidam juvenis nobilis genere, et magnus clericus, et devotus in domo Magnae carthusiae factus est monachus, qui sic laudabiliter vixit in ordine usque ad senectutem, quòd meruit habere spiritum profetiae, et infirmatus est. Quadam die, dictâ missâ conventuali prior visitavit ipsum: cui dixit infirmus: pater, ego aegroti animo cupio comedere carnes: rogo vos ministretis mihi. Prior putans eum propter senectutem et infirmitatem non esse in suo sensu, non curavit. Post tertium verò diem venit prior ad visitandum eum: et monachus dixit sibi haec verba: vos forte putatis quod extra me loquor: gratiâ Dei in meo sensu sum: pridie vos rogavi, ut daretis mihi carnes, et non curastis: sed volo vos scire quod de hac infirmitate ego moriar; et in die judicii reddetis mihi rationem coram summò judice. Prior verò sciens eum esse sanctum, his auditis valdè pertimuit: et convocato conventu, narravit eis omnia quae dixerat infirmus; et placuit conventui ut darentur sibi carnes. Tunc prior, et conventus accesserant ad cellam infirmi. Et dixit prior: reverende Fr., conventui placet ut edatis carnes. Quas carnes desideratis? Respondit infirmus: unius perdicis. Statim prior injunxit uni juveni novitio nobilis generis de Gratianopoli, et discipulo dicti infirmi, ut iret ad venatores et peteret unam perdicem ex parte prioris. Novitius autem, tùm propter obedientiam, tum propter charitatem magistri sui sine morâ perrexit. Et ut citiùs pergeret, et perficeret quod sibi injunctum fuerat, transivit per fluvium, et non per pontem, et tunc non perpendit, et portavit perdicem, et tradidit priori, qui portavit eam infirmo, et dixit: ecce perdicem: quomodo vultis, ut pre-

paretur? Respondit infirmus: volo eam assam, et benè lardiatam. Tunc erat quidam monachus in cartusiâ, qui steterat cum uno cardinali, et sciebat benè praeparare; quem rogavit prior, ut pro consolatione ipsius infirmi praepararet diligenter dictam avem in suâ cellâ; quod et factum est. Et vocatis priore, et conventu, prior benedixit mensam. Qua benedictâ, et perdice de veru stractâ, infirmus per fenestram suspexit in coelum, et cum lacrymis dixit: Domine Jesu Christe, qui de sinu Patris de coelis in terram descendisti, et in gloriosae virginis Mariae utero humanam carnem sumpsisti, et in patibulo sanctissimae crucis pro salute humani generis mori voluisti, exaudi me miserum peccatorem, te verum Deum et hominem suppliciter exorantem, quatenus si haec temptatio comedendi carnes, quam usque nunc habui, absque te est, placeat tibi Domine ut cum gratiarum actione comedam; sin autem, digneris piissime Domine qui habes imperium vitae, et mortis, huic creaturae tuae quae mei causâ occisa est, redire vitam, et vadat per viam suam, ut omnes fratres mei hìc astantes, et tibi famulantes apertè cognoscant, quòd non est tuae voluntatis ut comedant carnes etiam in infirmitate. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Et respondentibus dicto priore, et conventu, amen, dicta avis cum magno volatu mox recessit videntibus omnibus, et admirantibus, et gratias Deo agentibus, qui in coelo, et in terra facit mirabilia solus. Et istud secundum miraculum confirmavit primum, et primum et secundum confirmaverunt tertium, et suadaverunt animos monachorum illorum, qui viderunt magnalia Dei; et ab illâ hora finaliter determinaverunt non gustare carnes, nec in infirmitate, nec in sanitate, et hoc per apostolicam sedem approbatum est, et confirmatum. Resipiscant ergo clandestinâ

musitatione musitatores adversus s. ordinem cartusiensem injustè musitantes, et per haec, quae hìc sub compendio scripta sunt, clarè, et apertè cognoscere possunt, quod miraculosè et non sine divino nutu esus carnium cartusiensibus monachis, etiam in infirmitate est prohibitus. Explicit. Amen. Domine, cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.

II.

Incipit libellus editus à reverendo patre domino Bonifacio Ferrer, priore cartusiae, ostendens quod ad probandam sanctitatem, et puritatem ordinis cartusiensis non est necessarium quòd dictus ordo habeat sanctos canonizatos, vel quòd in eodem ordine fiant miracula, sicut fit in ceteris ordinibus approbatis.

Nullus debet dubitare de sanctitate et puritate ordinis sancti cartusiensis, cujus vitam Dominus noster Jesus Christus ante omne miraculum, et ante omnem praedicationem eremum quadraginta dies,....post baptismum suo exemplo in multis jejuniis, et vigiliis et temptationibus consecravit, ut clam attestant evangelia. Idem B. Joannes Baptista, Elias, Eliseus, et multi alii prophetae et sancti. Idcirco ista sit brevis, et efficax responsio pro illis, qui hoc petunt, qui forte supra tectum non confidant aliqui. Vobis autem quibus datum est nosse mysterium regni Dei et non in parabolis, latius aliquid declaro. Super quod sciendum est, quod miracula communiter fiunt ad probandam sanctitatem illius qui ea facit, quando aliquod dubium insurgere potest circa sanctitatem ejus. Vel fiunt ad vincendam, et confutandam infidelitatem alicujus, vel aliquorum. Ubi autem per scripturam sacram, vel evidentiam constat de sanctitate illius personae, rarò per illum

fiunt miracula, quia jam habet aliud genus probationis de sanctitate suâ. Et istud idem dicunt juristae, quòd ubi uno modo legitimè constat de intentione partis, non requiritur, nec exigitur, immo esset superfluum aliud genus probationis, ut in *cap. 1. ext. de probationibus.* Et ideo martyres, de quorum sanctitate nullus dubitat, rara miracula fecerunt, specialiter in vitâ. Confessores autem de quorum sanctitate non erat indubitata certitudo, fecerunt plura, et majora miracula, et in vitâ, et in morte. Et ex hoc dubio antiquitus confessores usque ad Silvestrum papam non colebantur publicè ut sancti. Et ex hoc nullus fuit nominatus, vel positus in canone missae, cùm tamen mulieres corruptae, sed martyres, fuerunt appositae, sicut Perpetua et Felicitas. Et inter istos confessores fuit alia diferentia. Nam illi qui pollebant magnâ scientiâ et doctrinâ, et multa scripserunt ad fidei illuminationem, pauciora, immo quasi nulla miracula fecerunt, praecipuè in vitâ, quia habebant probationem suae sanctitatis in eminentiâ doctrinae: sic Augustinus, Gregorius, et similes. Unde cum in canonizatione S. Thomae de Aquino opponeretur quòd non fecerat miracula in vitâ, vel non multa; fuit dictum per papam, non curandum; nam tot miracula fecit, quot quaestiones determinavit et scripsit. Inter confessores fuit alia diferentia: nam aliqui vixerunt in eremo in asperitate vitae perseverantes in pugnâ contra vitia, et temptationes, elongati ab hominum conversatione usque ad mortem. Et quia isti sunt testimonium sanctitatis ex verbo Dei dicentis: *si quis vult post me venire, abneget semeptisum* &c. et iterum: *qui non odit patrem suum, et matrem suam &c.*; non opportet eis addere per miracula aliud testimonium sanctitatis ad probandum, immo esset detrimentum circa testificationem divini verbi asserentis tales, et talem vitam ducentes esse sanctos. Ideo Paulus primus eremita, qui tamen

inter sanctissimos reputatur, non legitur miracula fecisse, nisi de corvo portante sibi escam, nec hoc fuit magnum, ut deducerem si non essem longus in verbis. Et licet aliqui fecerint miracula in vitâ suâ, ut Antonius, tamen pauca, et in liberatione obsessorum à daemone. Istud fuit speciale in valde paucis, nec ad probationem sanctitatis eorum, sed ut firmaretur in fragilibus fides, et ut alii debiles, et minus credentes, qui petunt miracula sicut isti qui vobis dixerunt; roborarentur in devotione, et traherentur ad serviendum Deo, et propter aliquos casus speciales. Sed de aliis ducentibus vitas similes qui fuerunt inimitabiles; nam aliquando sub uno patre fuerant decem millia, aut quindecim millia monachorum; non leguntur miracula fecisse, vel non plura, nec est fas dubitare eos fuisse sanctos. Nec canonizatio addit aliquid ad sanctitatem, nec antiqui sancti fuerunt per ecclesiam canonizati: sed devotio populorum, et testimonium vitae eorum fecit eos ut sanctos publicè venerari. Alii autem confessores, qui regebant populum, et conversabantur cum eis in activâ, quia non habebant alia clara testimonia; immo erat materia dubitandi circa eos propter vitam communem, et communionem et administrationem rerum temporalium, et saecularium: tales amplius miraculis claruerunt, sicut Martinus, Nicolaus decoratus innumeris miraculis, B. Blasius, et multi alii, qui non habuerunt alias probationes suae sanctitatis, videlicet, nec martyrium, nec eminentiam doctrinae, nec austeritatem vitae, elongantes se à conversatione hominum, et seipsos abnegantes. Et ex hoc, B. Joannes Baptista nullum miraculum fecit in vitâ, ut dicitur *Joan. 10. cap. in fine*: et tamen ex sola austeritate vitae reputabatur ab omnibus populis sanctior quàm Christus Dominus, qui tot, et tanta mirabilia est operatus in conspectu omnium populorum, nec quaesierunt à Joanne unquam miraculum sicut

à Christo Domino. Quia propter vitam communem quam ducebat propter exemplum nostrum, haesitabant de suâ sanctitate. Beatissima etiam virgo Maria numquam in vitâ suâ fecit miraculum, nec apostoli in evangeliis, vel epistolis fecerunt mentionem de ejus sanctitate, et vitae excellentiâ. Et scitis quare? quia habebant aliud evidentissimum genus probationis. Sufficiebat enim quod scripserunt istud verbum de eâ, videlicet, quod est mater Dei. In hoc enim verbo expresserunt omnem excellentiam et supereminentiam totius puritatis, et sanctitatis super omnem creaturam spiritualem, et corporalem; nec esset fidelis, immo improbus, et perversus, qui in probationem ejus sanctitatis, miraculum quaereret. Nec miracula maxima, et innumerabilia, quae per eamdem B. Virginem fiunt, probant in viris catholicis ejus sanctitatem, vel aliquid addunt ad eam; quare hoc quaerere ut crederetur, esset infidelitas, sed probant immensam charitatem, et pietatem, quam habet erga nos, eam invocantes, venerantes, et credentes. Videtis ergo, quod ubi aliud genus probationis praecedit, miracula superfluunt, nisi, ut jam dixi, ex aliquo speciali casu, qui non derogat regulam, sed confirmat, immò ostendit clare quòd debilior probatio, et infirmior est per miraculum; quare alia genera probationis sunt quasi innumerabilia et certissima. Primò testimonio divinae scripturae, quae non potest mentiri. Et ideo cum quaererent pharisaei à Joanne Baptista admirantes de suâ sanctitate, quis esset, non produxit miraculum, sed scripturam: *ego vox clamantis* &c. Secundò austeritas vitae cum abrenunciatione omnium temporalium et perseverantiâ usque in finem, est inexpugnabile genus probationis sanctitatis, ut in scripturis sanctis valde latè habetur. Quia ergo est tollere crucem, et sequi Christum, et istud non est nisi justorum, et sanctorum, ut in psalmo: *aperite*

mihi portas justitiae, et virtutum, et sanctitatis, *ingressus in eas confitebor Domino*; et laudabo eum perseveranter; *haec porta Domini, justi intrabunt in eam*: quia talis vita dumtaxat cum perseverantiâ, est electorum Dei. Et infra hoc dicit B. Bernardus: coelum, et cella vicina sunt, quod agitur ibi, agitur hic &c. Et subdit: de cellâ enim nunquam, aut raro fit transitus nisi ad cœlum; nam cella diutius non potest retinere nisi illos, qui sunt de electis Dei &c. Probatio autem per miraculum est valdè defficiens, quia etiam per malos miracula fiunt, ut dicitur in *cap. 1. ext. de reliquiis, et veneratione sanctorum.* Domino etiam attestante qui ait: *Nonne in nomine tuo prophetavimus? nonne daemonia ejecimus?* Quibus dicitur; *Amen, amen dico vobis, nescio vos.* Judas enim proditor multos daemoniacos curavit, et filii judaeorum, quamvis increduli, similiter fecerunt. Et propter hoc Apostoli volentes eos prohibere, fuerunt reprehensi à Christo Domino. Item est probatio valde calumniabilis per incredulos, sicut fuerunt Magi Pharaonis, et Simon Magus, et alii multi reprobi tempore Apostolorum, et faciet Anti-Christus cum suis sequacibus. Videtis ergo quod miracula non sunt efficacissima signa sanctitatis. Sed aliqui petunt miracula à sanctis ad curiositatem solum, ut videant aliqua nova, sicut si peterent ab istis, qui magicis artibus videntur facere aliqua miracula. Et hoc modo petentes habuerunt responsum à Christo Domino: *Generatio prava, et adultera signum petit.* Hoc eodem modo volebat Herodes cupiens videre Christum ex multo tempore, qui tamen non meruit unum verbum de ejus sanctissimo ore audire. Concludendo ergo, quis sanae mentis posset dubitare de sanctitate incolarum ordinis cartusiensis, qui relinquentes voluntariè mundum, patrem, matrem, agros &c. abrenunciantibus omnibus pompis,

divitiis, et mundanae gloriae; includunt se infra unam mansiunculam, in fame, et siti continuè laudantes Deum, sustinentes humili corde temptationes, prout placet Creatori eos visitare, et sic finientes suos dies; desiperet qui aliter saperet, et contradiceret Apostolo, qui ad haebreos XI. cap. dicit, quod talibus dignus non erat mundus. Repugnaret etiam verbis Spiritus Sancti, qui per David de talibus dicit in Ps. *Quam magna multitudo dulcedinis, quam abscondisti timentibus te.* Et si vis scire, qui sunt, sequitur; *abscondes eos in abscondito faciei tuae à conturbatione hominum* &c. Et talis qui diceret, vel dubitaret in contrarium, non videretur bene credulus in verbis evangelicis, et propheticis, quae omnia plena sunt de sanctitate talis vitae. Et si vellet talis adhuc de suo dubio saciari ad litteram de miraculis nostri ordinis sciunt magni et famosi viri, qui exquisierunt. Inter alios ille Petrus abbas antiquus Cluniacensis, qui composuit volumen valde autenticum de miraculis; qui quando venit ad miracula nostri ordinis, sic dicit: in illo sacro ordine multa miracula facta sunt, sed pauca, quae hic pono ab eis potui cum magno labore habere, quia tanquam humiles, nolentes in talibus gloriari, excusant, et celant &c. Et ideo quando episcopatus non dabantur ad instantiam, minas, et suggestiones principum, vel promovendorum, et aliàs quia hoc modo non credidissent nostri apud Deum habere jus vel facere fructus suos; tunc fuerunt multi episcopi in ordine nostro. Et quia tunc propter illa, quae superiùs dicta sunt, indigebant de miraculis, omnes claruerunt multis miraculis. Sicut S. Hugo Linconiensis in Angliâ, licèt oriundus esset de Subaudiâ: beatus Antelmus episcopus Bellicensis; beatus Stephanus episcopus Diensis; duo Hugones episcopi Gratianopolitanenses, et alii ut constat per eorum legendas, ex quibus solus Hu-

go Linconiensis est canonizatus. Et si quaeritur quare non alii? dico quod ordo de talibus numquam curavit, nec ille fuit ad instantiam ordinis canonizatus, licet in hac domo cartusiae fuerit Correrius; sed rex Angliae et sua ecclesia hoc fecerunt. Et multae sunt rationes quare ordo numquam faceret instantiam, cùm ut praedictum est, celat miracula exemplo Christi Domini qui mandavit, ut nemini dicerent &c. et ut videatur quomodo nos curamus, ut audivistis, gentes recipiunt de herbis nostri cimeterii pro curatione specialiter febrium, sicut frequenter est probatum. Alia etiam die venit ad me unus qui videbatur agricola, dicens mihi, Domine ubi sunt illae herbae &c. et nolui sibi ostendere, nec curavi. Item quia magis recumbimus in aliis probationibus sanctitatis quam in miraculis, ut praedictum est, et in hoc totus labor, et studium, ut acquiramus regnum aeternum. Et haec summa et totalis sanctitas, etiamsi non simus depicti in ecclesiis, vel tabulis ligneis. Et ideo cuidam juristae volenti infra annum novitiatus recedere ab hac domo temptatus, quia viderat sepelire quemdam monachum cum cinere, et cilicio, et sine omni pompâ, apparuit angelus dicens ei: ex hoc vis recedere, fatue? revertere, quia omnes in hoc cimiterio sepulti, sunt in gloriâ aeternâ excepto uno converso proprietario. Item non curamus de canonizatione ecclesiasticâ ex eo quod dicunt juristae quod solemnitas processus canonizationis debet durare ad minus per quindecim annos cum in explicabilibus laboribus et expensis. Et nos per hoc nollemus vix expendere unum pomum, nec ire usque ad portam domus. Alii autem religiosi, qui habitant et qui vivunt in mundo cum saecularibus, indigent canonizationibus per testimonia, ut praedictum est. Et sicut nos occultamus miracula, alii publicant, adducunt, praedicant, clamant et impringant, glossant, et exponunt

illa latissimè. Et si illi qui volunt videre oculis corporeis, vel audire miracula corporalia, vellent aliqualiter supra tectum elevare oculos mentis, adhuc majora viderent miracula, quam illuminare cæcos, vel suscitare mortuos &c. Nam, ut dicit B. Gregorius super Marcum, ultimo: signa data sunt credentibus in Christum quod dæmonia ejiciant, linguis loquantur, super ægros manus &c. Ergo qui non facit ista miracula, non credit in Christum? non est sic: quia miracula illa corporalia erant in abundantiâ exercenda per illos primos pastores pro conversione infidelium. Apud fideles autem majora hodie fiunt, quam non est restituere visum corporalem post modicum in terra computrescendum, et idem de similibus curationibus. Non videntur tibi longe majora miracula, hominem mortuum, et fœtidum in peccatis, non solum quatriduanum, sed, per decem, vigiati, triginta annos putrescentem, suscitare ad vitam spiritualem per bonam doctrinam, et per bonum exemplum, per orationes et per similes actus spirituales? Non videtur tibi super omnia miracula corporalia, quòd ille qui heri ardebat in divitiis et avaritiis, nec sufficiebant sibi modi vel artes ad congregandum, et forte per fas, vel per nefas, quòd hodie omnibus renunciatis, velit perpetuò vivere in paupertate? Heri elevabatur in superbiam satagens æquiparari majori, dominari æquali, affligere inferiorem, quod hodie in humilitate volens videri, etiam pauperibus sit paratus servire? Nam, ut habetur in collationibus patrum, cum quidam infideles multas injurias corporales verbales cuidam monacho irrogassent, improperantes ei quæ miracula faciebat Christus ejus, respondit: vultis majora miracula, quam quod omnes vestras injurias sustinui patienter sine aliqua indignatione? et adhuc majora paratus sum sustinere in nomine ipsius. Heri artes coquorum, et victualium varietates non poterant

suae gulae satisfacere; hodie voluntarie, et laeto spiritu se affligit fame, sustentans naturam ruribus, et grossis cibariis, quae oculi sui heri noluissent aspicere. Heri dicebat: non sit pratum quod non transeat luxuria nostra; qui hodie laudando, et exultando in castitate, et carnem castigando cogat servire spiritum suum puritati, et continentiae, minimas etiam cogitationes inhonestas improbans, et refrenans. Videntur ne vobis magna miracula ista, et his similia, quae per te potes cogitare? Videretur vobis magnum miraculum creare de nihilo coelum, et terram; majora tamen sunt ista; quia ut ait Augustinus, majus est justificare impium, quam creare coelum, et terram. Omnia ista invenies in ordine nostro non solum facta, sed continuè succedentia. Et tamen vos plus velletis videre, et ad majus reputaretis quod unus lapis per se elevaretur per duos palmos super terram? Et scitis quare? quia oculi carnei vobis sunt, qui petitis miracula corporalia. Ego autem supplico omnipotenti D. Jesu Christo ut super his quae ego in fide, vel devotione credo, nullum miraculum corporale videam, vel audiam, quia non reputarem me fidelem, nec Deo acceptum. Noster ergo ordo nihil aliud existimat se scire, vel sequi, nisi cum Apostolo, Christum, et hunc crucifixum. Concludendo ergo istud, sit vobis pro summâ conclusione, et omnibus sapientibus aliquid de Deo, quod viventes, et finientes dies suos cum perseverantiâ in observantiis nostri ordinis non solum in futurâ vitâ sunt sancti, sed erunt conjudices in futuro judicio cum gradu apostolico. Nam quod scriptum est: *vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim* &c. non solum apostolis, sed omnibus pauperibus spiritu servantibus paupertatem in humilitate summâ est dictum. Ita quod non est dictum confessoribus, doctoribus, martyribus, vel virginibus; sed pauperibus, et istud sit vobis

supra omnia miracula. Consolamini ergo invicem in verbis istis. Ista ad vestram importunam instantiam festinantissimè scripsi; non credebam tantum scribere, sed non potui refrenare calamum, neque potui verbis compositis ordinare, sed grossis, et rudibus, quia occupatus ut scitis, in spiritualibus, et temporalibus non possem pro nunc vacare; sed teneatis penes vos, et respirans modicum ponam in aliâ minus malâ formâ cum allegationibus, praestante D. N. J. C. qui cum Patre, et Spiritu Sancto sit benedictus in saecula saeculorum. Amen.

III.

Ejusdem D. Bonifacii Ferrer de caeremoniis ordinis cartusiensis, et de ejus confirmatione, et approbatione.

Quia quaesivisti à me, tu juvenis, assignari tibi aliquas rationes de caeremoniis nostri ordinis cartusiensis, et de ejus confirmatione seu approbatione; et licet ad praesens vacare in his sit mihi difficile et molestum, urgentibus aliis arduis et inevitabilibus occupationibus praesentis nostri cap. gen. nunc de proximo instantibus; tamen ut minus male potero, pro tuâ consolatione non tardabo aliquid furtive scribere, sperans dante Domino aliquid satius captatâ opportunitate tibi explicare; et ut brevitèr potero de confirmatione ejusdem ordinis me expediam. Volo te scire, quòd antiquitas, et perseverantia in observantiis sanctae vitae dicti nostri ordinis deberet cuilibet viro spirituali sufficere ad intuendam perfectam confirmationem tanti ordinis. Est enim antiquior omnibus aliis, excepta regula S. Benedicti, et canonicorum regularium S. Augustini: fuit enim per viginti unum annos ante ordinum cistercìensem, et ultra per centum triginta

duos annos ante praedicatores, et minores, et ceteros mendicantes. Et quod ordo viguerit, et vigeat in suis caeremoniis, et observantiis, et quotidie devotio, et plantatio multiplex domorum increscat, vel calescat: istud sit tibi oculis pacificis et spiritualibus intuenti, plena probatio confirmationis. Nam in antiquis monasteriis Aegiptiorum, et aliarum regionum, quae fuerunt in maximâ abundantiâ, et in numero personarum innumerabili, non legitur alia confirmatio vel approbatio sedis apostolicae nisi sola sanctitas vitae in Dei servitio cum perseverantiâ virtuosâ. Et haec est confirmatio invisibilis Spiritus Sancti, et unctio ipsius quae docet omnia in 1o. *cap.* 2. et hoc est quod dicitur actuum 5. cap.: *Si opus non est ex Deo, dissolvetur.* Nec etiam primitiva ecclesia circa religiones istas confirmationibus vel approbationibus utebatur. Sed quia à ducentis annis citra quam religiones nimium multiplicatae fuerunt, licet aliquae non multum creverunt in sanctitate, ut impleretur quod dictum est per Isaiam: *Mutiplicasti gentem, non magnificasti laetitiam:* ecclesia, tunc videns confusionem ex multiplicatione, et per consequens contemptum et indevotionem, reprobavit omnes religiones, mendicantium quatuor exceptis, ut in cap. 1. de relig. docetur lib. 6. Et quia ex superbia alioquorum solo habitu religiosorum multae haereses pullularunt, voluit etiam strictius ponere manum in inventione religionum. Ex hoc, à principio et praedicatores; et minores, ne reputarentur occulta conventicula, obtinuerunt approbationem. De religionibus autem antiquioribus non legimus aliquam approbationem expressam sedis apostolicae, sed eorum sanctam vitam ecclesia sciens, eis ut viris sanctis et approbatis communicare, et multa privilegia, et variâ concedere voluit, quae erat plena confirmatio, et approbatio earum. Et isto respectu non le-

gimus de sanctis antiquis expressam canonizationem ab ecclesiâ factam, sicut nunc fit de sanctis modernis. Et ideo de tam antiquâ et laudabili religione cum tantâ perseverantiâ superfluum, immo curiosum, et quasi superstitiosum esset quaerere approbationem, vel confirmationem. Sed ut magis bonum desiderium tuum ad litteram impleatur, volo te scire quod multi romani pontifices succesivè decoraverunt ordinem nostrum cartusiensem, multis, et latissimis privilegiis, eum extollendo, laudando, et approbando, quorum originalia sunt in hac domo cartusiae. Sed specialiter d. papa Alexander IV expresse approbavit omnia statuta, et constitutiones nostras, dando plenam potestatem priori cartusiae in cap. gen. ordinandi, gubernandi, regendi, disponendi, statuta faciendi &c. omnia latissimè ponendo de verbo ad verbum in sua approbatione, sive confirmatione totum capitulum 28, secundae partis statutorum nostrorum in quo omnia comprehenduntur. Et haec sufficiatur tibi pro plenitudine quaestionis tuae, licet breviter dicta.

IV.

Ejusdem R. P. D. Bonifacii responsio ad quaesitum de caeremoniis ordinis cartusiensis in officio divino, maximè in missâ.

Veniens ad quaestionem de caeremoniis nostris in officio divino, specialiter in missâ; et debes pro evidentia scire tria principaliter. Primum quod homo tenetur laudare Deum, et sibi servire, et eum diligere totâ animâ, totâ mente, et omnibus viribus &c. ut in praeceptis Decalogi. Quia tam corpore sicut instrumento, quàm animâ sicut gubernatore, sicut eum multipliciter offendi-

mus, opportet de utroque sibi servire, ut dicitur in Ps. *Benedic anima mea Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus.* Et ex hoc affligimur vigiliis, jejuniis, et aliis austeritatibus in corpore, ut *sibi de* omnibus sacrifficium faciamus. Secundum, quod ecclesia nostra militans in his quae pertinent ad laudem *Dei*, et ejus servitium, debet saltem in his se conformare cum ecclesiâ triumphanti, quae sursum est, et imitari *sanctos* qui in hac vitâ placuerunt Deo. Et hoc est quod Dominus dixit Moysi in figura (Exodi 25. cap. in fine.): *Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Hoc autem significavit Joannes in Apoc. (17. cap.): *Vidi civitatem sanctam Jerusalem, novam, descendentem de coelo à Deo, paratam* &c. Et sequitur: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis* &c. Tertium debes scire, quod sicut observatio mandatorum Dei est grata et accepta sibi, sic est ritus caeremoniarum. Et in hoc commendatur Abraham in multis repromissionibus (Gen. 26. cap.): *Dabo tibi...universas regiones has, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, eo quo obedierit Abraham voci meae, et custodierit praecepta, et mandata mea, et caeremonias* &c. et Exodi 12. cap.: *Observabitis caeremonias istas.* His autem praesuppositis, debes scire, quod de his quae pertinent ad laudem divinam in ecclesiâ triumphali, et earum caeremoniis aliis, revelavit nobis Deus per prophetas, et sanctos suos in scripturis sanctis, quae etiam ipsi sancti in hac vita in gestu corporali observaverunt. Aliquando enim laudabant, et adorabant Deum genuflexo; hoc fecit D. noster Jesus Christus (Lucae 22. cap.), et B. Stephanus ejus exemplo (Act. 7. in fine.): *positis genibus clamavit* &c. Hoc fecit Paulus apostolus cum suis discipulis. *Act. 20 cap. in fine, et 22 circa principium*; et ad

Ephesios 3. cap. dicit: *Flecto genua mea ad Patrem &c.* Et iterum: *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur* (ad Philip. 2. cap.). Et multi alii, tam in novo, quàm in veteri testamento aliquando orabant Deum procumbentes in terrâ ante faciem suam; sic fecit D. N. J. C. (Marci 14. cap. ibi): *Procidit super terram.* Id Josue 7. cap. Judit 4., et 10. cap. in principio. Tobiae 22. cap. in fine: hoc et fecit prius Lucae 5. cap., Joan. Apoc. 1. cap. in fine, et 4. cap. et in aliis multis locis sacrae scripturae. Aliquando stantes, et hoc modo vidit Stephanus Jesum stantem (Act. 7. cap.), et hoc modo oravit pro se ipso Stephanus, ut in dicto 7. cap. habetur. Et hoc modo vidit Magdalena Jesum stantem (Jo. 20. cap.) et in multis locis stetit Jesus post resurrectionem in medio discipulorum. Et inde in ecclesiâ à die Resurrectionis usque ad festum Trinitatis oramus stantes. Aliquando inclinati, sive incurvati adoraverunt (Exodi 12. cap. et Nehemiae 8. cap. et Genes. 24. cap.): et hoc modo inclinans Magdalena meruit videre angelos (Joan. 20. cap.). Istis ergo modis, et gestibus corporis sancti adoraverunt, et oraverunt Deum. Ordo ergo noster volens se cum sanctis Dei, et cum eorum observantiis et caeremoniis conformare, servat in reverentiâ et adoratione divinâ et divinis officiis, praecipue in oblatione sanctisimi sacrifficii missae, omnes praedictas caeremonias; ut de omni sanctitate participet, et eos in tam laudabilibus actibus imitetur. Et ita debent facere omnes veri christiani, saltem ecclesiastici, et praecipuè religiosi; qui licet à principio, dum vigebat devotió apud eos, ita facerent, tamen apud aliquos, sive ex dissuetudine, sive ex contemptu, sive ex verecundiâ, seu aliter evanuit, et deductum est in oblivionem; et mirantur de nobis, immo irrident, et subsanant, qui perseveranter facimus in laudem Dei quod tenemur, immo ti-

mentes illud verbum (Luc. 9. cap. et Mat. 16. cap.): *Qui me erubuerit, et meos sermones* &c. Nos ergo in ordine nostro ad laudem et gloriam Dei aliquando oramus genu flexo, aliquando procumbentes proni in terram, aliquando inclinati, sive incurvati, aliquando recti, et hoc modo stantes, id est, non innixi, vel apodiati (*a*), quasi modicum extra sedes capite nudato cantamus: *Kyrie eleyson, Gloria in excelsis Deo, Credo in unum Deum, Te Deum laudamus* &c. Videtur ergo clarum fundamentum et laudabilia motiva nostrarum caeremoniarum.

Sed adhuc tibi magis specificè ad aliquas nobiles et insignes caeremonias (supl. *explicandas accedo*) in magnâ divinâ reverentia apud corda devotorum, et aliquid de Deo sapientium, plenas assignando tibi rationes speciales, ultra praedictas generales. Et primò in ordine nostro quando cantamus post praefationem *Sanctus, Sanctus* &c., stamus super (*b*) misericordias incurvati, capite cooperto. Hoc ideo, fit, quia ita legimus in gloriâ coelesti angelos, à quibus primò dictum cantum habuimus, eo modo cantare; ut habetur Isaiae 6. cap.; duabus enim alis velabant faciem suam, dicentes *Sanctus* &c. De quo etiam fit mentio Apoc. 4. cap., ubi animalia habentia senas alas, cantabant *Sanctus*, et tunc

(*a*) Apodiati. *Apodiare* (fulcire, sustinere) in usu est ap. scriptores infimae latinitatis. De S. Ivone legitur in Inquisit. pro ejus canonizatione: *Sedendo et se* apodiando *de pectore super libros, et inclinato capite dormiebat.*

(*b*) Super misericordias. *Misericordias* vocat sellulas, erectis formarum subselliis appositas, quibus stantibus senibus vel infirmis *per misericordiam* insidere conceditur, dum alii stant. De his statuta ord. carthusiensis: *Stent in sedibus suis versâ facie ad altare, donec, ad* misericordias... *inclinent.* Et mox: *In festis duodecim lectionum ad* misericordias *inclinamus.*

seniores procidebant, et adorabant viventem in saecula saeculorum; et quia nos non habemus alas, velamus facies nostras sicut melius possumus, ut laudem angelorum saltem in aliquo imitemur. Et dicto *Sanctus*., nos surgimus certis temporibus, vel aliis flectimus genua, procumbentes super formas. Et in elevatione corporis Christi deponimus caputiâ, et humiliter genuflexo adoramus Redemptorem nostrum. Et hoc modo post *Sanctus* faciebant in gloriâ aeternâ viginti quatuor seniores, mittentes, id est, deponentes coronas suas ante tronum, ut habetur Apoc. 4. cap. in fine. Ultimò elevatâ hostiâ nos cadimus proni in terrâ in facies nostras adorantes Deum nostrum, quem oculis nostris sub sacramento vidimus. Moyses etiam viso Domino in rubro, abscondit faciem suam, sicut fecit Abraham quando apparuit sibi Dominus Genes. 17. cap. in princ.; ubi viso Domino cecidit pronus in terra. Ita fecerunt Moyses, et Aaron viso Domino Num. 16. cap. juxta medium. Sic fecit iterum Abraham Gen. 18. cap. et multi alii sancti in veteri Testamento, quod ommito causâ brevitatis. Isto modo revelatum est B. Joan. in novo testamento fieri per sanctos in gloriâ aeternâ. Ubi dictâ gloriâ cum benedictione sedenti in trono, viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, et adoraverunt viventem in saecula saeculorum (Apoc. 5. cap. in fine). Et istâ consideratione facie velatâ, sive ejus loco, capite cooperto, stamus usque post communionem. Item ex eo, ut in illo intervallo temporis possint quibus datur gratia, cum lacrymis et devotione cogitare et contemplari dominicam passionem, quae per ea, quae tunc aguntur, significatur. Nam aspectus tam activus quam passivus, ut plerumque facere cessare (*a*), vel refrigescere fervorem

(*a*) Puto legendum: *ut plerumque solet, facit cessare* &c.

devotionis, et mentem humanam variis cogitationibus agitari. Item ex eo, quia cum habitu lugubri, quantum possumus, quod significatur per capitis velamen, seu cooperturam, debemus de passione D. N. J. C. et de ejus morte cogitare illo tempore quo nobis sub veritate sacramenti representatur. Nam in elevatione hostiae mysticè significatur elevatio de sanctissimo corpore Dominico factâ in cruce: et exinde usque ad communionem, ea quae in ipsius complemento passionis acta sunt. Item ex eo, quia illo tempore à sextâ usque ad nonam tunc factae sunt tenebrae in universâ terrâ, ut habetur Lucae 24. cap. et Mat. 20., et Marci 15. cap. Nam expirante Domino, obtenebrata est terra, ut saltem creaturae irracionales, sicut poterant, faterentur illum esse Deum eorum, qui ita turpiter patiebatur, et compateretur sibi: quod nos illa contemplando obtenebramus caput. Unde debes scire, quod omnia quae acta sunt in passione Christi Domini, significantur in sacrificio missae, sive per verba, sive per signa, sive per cruces, sive per gestus, sicut sub tam brevi mysterii tempore, compendiosè fieri potest. Nos etiam confecto sanguine elevamus modicum calicem; et de ista elevatione est ratio litteralis propter periculum altioris elevationis, ne sequatur sacramenti effusio, sicut aliquando aliquibus contigit. Item ut sit uniformitas, ut tam juvenes qui elevare possunt, quam senes praecipuè tremente, qui sinè periculo effusionis non possunt elevare, sint in hoc conformes. Et istud idem observatur, vel saltem debent observare aliqui mendicantium, ut audivi à quodam notabili praelato eorum: videlicet, quod non debent elevare calicem nisi usque ad nasum; et ita à multis fieri vidi. Tamen propter conversationem et frequentiam saecularium, ut non sit diversitas, conformant se cum ritu clericorum saecularium, sicut nos facimus extra do-

mos nostras celebrantes inter saeculares, ne scandalicentur in diversitate rituum, non intelligentes secretiora mysteria. Argumentum *cap. Deus ext. de vitâ et honestate clericorum.* Ratione autem mysticâ fit, ut signifficetur quod nihil amplius est sub hostiâ, quàm sub calice, et è contra, quamvis diversae formae sint panis, et vini. Tamen post consecrationem nihil plus vel minus est sub unâ formâ, quam sub aliâ. Ideo adorato Domino sub unâ specie, non adoratur à viris spiritualibus, nec est necesse quod sub aliâ specie adorent, nisi mentaliter. Praecipue quia species vini etiam per elevationem non potest videri; sed dumtaxat argentum, vel aurum. Idcirco etiam cessamus ab illâ calicis elevatione, quia nec per illam ostendimus in suâ specie sacramentum. Et in hoc conformamur universali et catholicae ecclesiae, quae hodiè communicando fideles solum corpus consecratum tribuit, et non sanguinem. Et tamen non possunt ex hoc conqueri christiani, nec conqueruntur, licet sub utraque specie reciperent antiquitùs, ut habetur in decretalibus. Quia sive sub unâ, sive sub duplici specie, nihil amplius, vel minus sumunt. Et fuit mutatum propter aliqua pericula, praecipuè effusionis, ut dictum est in elevatione. Et etiam ut crederent firmiter integritatem certam sacramenti sub illius specie; et istae rationes ratificant ritum nostrum. Et iterum istud in nostro ordine observamus ad hoc, ut nobiscum audientes divina, cujuscumque status sint, instruamus, et incitemus nostro exemplo ad devotionem, et fervorem fidei circa tantum sacramentum ad majorem honorem divinum, ita ut viso sacramento perfectè sub specie panis, dum consecratur sanguis non expectantes eum videre, adorent Salvatorem suum proni in terrâ, osculando terram in signum humilitatis, et profundae reverentiae; ut amplius circa divinum honorem agamus, quàm circa principes et

domnos, quibus flectimus genua. Sic nos facimus, morem sanctorum patrum veteris, et novi Testamenti, ut dictum est, imitantes. Et isti humiles gestus corporis circa reverentiam nostri Redemptoris inducunt multos ad devotionem et compunctionem, plus quàm genuflexiones; et sic vidi fieri frequenter etiam apud saeculares devotos. Item ex eo elevamus etiam hostiam solùm, ut significemus totum Christum integriter elevatum affixum in cruce, quod significatur ut diximus, in elevatione hostiae. Et si dicatur quare saeculares non significant istud idem, respondetur quod quilibet habet suas laudabiles observantias, et considerationes, et in hac varietate considerationum amplius viget laus Dei, quia alius sic, et alius sic, ut dicit apostolus, ex quo convenimus in eadem fide, et in reverentiâ unius Dei, et Salvatoris nostri J. C.

Ultimò, ex praeditis considerationibus nos cantato semel *Agnus Dei*, procumbimus iterum proni in terrâ, orantes, et adorantes usque ad sumptionem perfectam sacramenti, et tunc surgimus, et cantamus bis *Agnus Dei*. Quamvis per superius dicta assignentur efficaces rationes quare in terrâ proni procumbamus, potest etiam alia ratio haberi. Nam dum sacerdos habens sacramentum vitae, idest, verum nostrum Redemptorem, et D. N. J. C. adorat, et orat pro nobis, nos etiam quibus non debent sufficere omnes vires corporis ad eum laudandum, orantes simul, et ipsum adorantes in illo gestu corporis humiliori quo possumus, approbamus, et presentamus simul orationes et desideria nostra Deo, laudantes ipsum, et gratias illi agentes de tanto beneficio, dicentes, *Amen*, ut totum habetur Apoc. 5. in fine. Et istis respectibus cantantes *Credo in unum Deum*, osculantes terram dicimus *et homo factus est*: recognoscentes descensum nostri Redemptoris ad terram, osculantes eam, quam suis gressibus sacratissimis

calcavit, et in qua passus est, et in qua carnem nostram terrenam assumpsit de muliere sanctissimâ, ex terrâ factâ, sicut et nos; et quia in terrâ fudit sanguinem suum, et in eâ sepultus est. Memorantes ergo cum devotione quod Deus factus est homo pro nobis, osculamur terram, quae eum suscepit, cum humiliter adorantes. Item procumbimus in terram post primum *Agnus Dei*, sicut et post elevationem sacramenti etiam alio respectu; videlicet, significantes illam sanctissimam transfigurationem Salvatoris in monte Tabor factam coram tribus apostolis, qua visâ ceciderunt in facies suas, non surgentes nisi cessante, vel recedente illius gloriae splendore. Nec nos surgimus nisi consummato tantae gloriae sacramento. Et etiam procumbimus in terram, quasi tenentes, et osculantes per fidem, et adorantes pedes nostri Redemptoris, memorantes quae fecit Magdalena cum aliis mulieribus (Math. ultimo). Et ideo à principio cantamus unum *Agnus Dei*, ut liberius vacemus adorationi, et devotae orationi. Et sumpto sacramento surgentes ab adoratione, tunc cantamus duo *Agnus Dei*, dum sacerdos alia perficit, quae ad completionem mysterii pertinent. Item etiam ut significemus quòd non solum in sacramento, quod significat passionem, sed etiam post consummationem sacramenti credentes firmissimè eum regnantem in coelis, tamquam à vero Agno petimus remissionem peccatorum, significante illum Agnum adoratum super montem Sion à centum quadraginta quatuor millibus (Apoc. 14. cap.). Item ut significemus quod divina pietas ad remissionem peccatorum, et ad alia spiritus charismata, non est alligata sub virtute sacramentorum, quoniam sine quocumque sacramento potest omnia dare, et remittere. Et idcirco hoc credentes, consummato sacramento petimus bis tamquam ab Agno immaculato indulgentiam peccatorum, dicentes bis *Agnus Dei*, qua-

si asserentes majorem esse, et fuisse suam potestatem, etiam cessante omni sacramento, quam in virtute cujuslibet sacramenti. Magnificantes (*a*) etiam in cantando primum unum *Agnus Dei*, et postea duos, quod vivente Christo in carne visibili B. Joan. Baptista, à quod istud verbum *Agnus Dei* habuimus, semel dixit (Jo. 1.); Christo autem ascendente et regnante in coelo, quod significatur consummato sacramento, multi et multis vicibus cantarunt et geminarunt istud dulcissimum verbum *Agnus Dei*, et dederunt gloriam Deo, et Agno, Apoc. quinto, sexto, septimo, terciodecimo, quartodecimo cap., et quasi per totum. Ubi geminatur frequentissimè *Agnus*, significantes Christum Redemptorem, et Salvatorem nostrum: cui sit gloria, et honor cum Patre, et Spiritu Sancto, in saecula saeculorum. Amen.

Ordinatio facta per reverendissimum in Christo Patrem dominum Bonifacium, priorem carthusiae, de novitio induendo et introducendo in cellam.

EX AUTOGRAGR. IN ARCH. CARTHUS. PORTAE COELI.

Hora qua novitius debet recipi ad ordinis habitum, congregatur conventus in parvo claustro, et novitius jam rasus, et indutus ex toto per aliquem de monachis de habitu quem debet portare in novitiatu, ducitur ad parvum claustrum, ubi prior cucullâ ecclesiasticâ indutus cum stola, et libro ad adventum novitii intrat primus ecclesiam adnuens novitio ut eum sequatur, et postea monachi antiquiores per ordinem intrantes sedes suas. Et prior ducit novitius ad medium gradus altaris, instruens eum ut ge-

(*a*) Significantes.

nibus ad terram flexis inclinatus faciat orationem. Et prior accedit ad penultimam sedem chori sui. Et tunc cantor chori de choro ubi est cantoria hebdomadaria incipit altâ voce sine alleluia ante vel post, nobis stantibus facie ad alterutrum chorum, nec apodiantibus, hinc vel inde versum: *Veni sancte Spiritus*, prout est notatum in gradualibus. Et cantato primo verbo, scilicet, *Veni*, statim procumbimus super formas quousque sit dictum, *Sancte Spiritus*: et tunc surgentes perficimus versum cantando plane et spatiosè stantes ritu quo incepimus.

Quo dicto dicit prior stans rectus ut prius submissâ voce sed intelligibili, nobis inclinantibus super misericordias. ℣. *Confirma hoc Deus.* ℟. *Quod operatus* &c. ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et* &c. *Oremus.* Oratio. *Actiones nostras quaesumus Domine* &c. = *Deus qui corda fidelium sancti* &c. = *Per Dominum....ejusdem* &c.

Sub unâ conclusione dicuntur praecedentes duae orationes, et post conclusionem non dicitur *Dominus vobiscum* &c. nec aliud aliquid, sed responso *Amen* cantor incipit submissâ voce Psalm. *Miserere mei* &c. conventu alternatim prosequente. = Et tunc prior accedens ad novitium facit eum surgere de gradu altaris, adnuens ei ut sequatur eum. Et praecedente priore cum aspersorio et libro sequitur novitius, postea ceteri per ordinem, praecedentibus antiquioribus. = Et si praedictus psalmus non sufficit usquequo prior et conventus vel major pars sint in cella novitii, post *Gloria Patri* continuatur Ps. *Quam dilecta.* Ps. *Memento Domine David*, si fuerit necessarium. = Veniens autem prior ad cellae ostium, aspergit novitium, et ingressum cellae, et cellam dicens: *Pax huic domui.* Tenensque manum novitii introducit eum, et ducit ad oratorium, ubi est genibus flexis. = Finito verò psalmo vel psalmis cum *Gl. Patri* sequitur *Kyrie, Chris-*

te, Kyrie, Pater noster, et Ave Maria. ℣. Et ne nos. ℣. Salvum fac. ℣. Mitte ei, Domine. ℣. Esto ei, Domine. ℣. Nichil proficiat. ℣. Domine, exaudi. ℣. Domine Deus virtutum. ℣. Dominus vobiscum. Oremus. Sub una conclusione dicuntur istae tres orationes. Prima *Deus qui justificas impium et non vis* &c. Secunda *Pretende Domine.* Tertia *Exaudi nos Domine sancte Pater omnipotens* &c. *Per omnia saecula.* Et responso *Amen*, nichil ultra dicitur. = Sed prior vertens se ad novitium nominando eum (*a*), qui nihil respondet, dicit, Domine talis, injungo vobis cellae et aliorum quae ad nostri ordinis pertinent observantiam, et exercitium in remissionem peccatorum. Et tunc vocans unum de monachis senioribus, non aetate sed moribus, aptitudine, discretione, et honestate, secundum verbum Domini dictum Moysi, Numer. XI. cap. *Congrega LXX viros* &c. Quod non intelligitur de aetate, aliàs quilibet cognovisset qui erant senes, et melius fuisset Susannam committere Danieli juvenculo, quam duobus presbyteris senioribus. = Dicit prior: (*b*) Domine talis, visitabitis istum novitium horis congruis, instruendo eum in divinis officiis ac ceteris observantiis ordinis. = Quo finito prior deponit ibidem cucullam et stolam, recipiens eas converius, vel viceversus, vel antiquiot. = Et consuevit dicere, benedicite, et possumus loqui de bonis modicum, et sic quilibet vadit ad cellam suam. = Et si plures simul recipiuntur, sicut ego (*c*) in carthusiâ recepi quinque simul eadem horâ, eodem modo sic, eundo ad quemlibet, primò ad cellam illius qui ponetur in primo loco, et alii recipiendi etiam ibunt simul. Et inde itur continuando, vel iterando dictos psalmos ad cellam secundi, et idem de

(*a*) Nominat eum.
(*b*) Nominat eum.
(*c*) Bonifacius prior carthusiae.

alio vel aliis sequentibus. Sed ille qui jam est incellatus, pro tunc non vadit ad alios, sed remanet in cellâ.

De aegrotis visitandis, et defunctorum sepulturâ juxta ritum FF. carthusiensium, auctore, ut creditur, V. D. Bonifacio Ferrer.

EX ARCH. CARTHUS. PORTAE COELI.

Ordo ad visitandum aegrotum.

Cum aegrotus frater morti appropinquare putabitur, congregetur conventus ad visitandum et inungendum eum. Omnibusque necessariis preparatis, praecedunt qui portant ignem, crucem, aquam benedictam, scilicet, sacrista, diaconus, procurator vel vicarius. Sequitur sacerdos indutus cucullâ ecclesiasticâ cum stolâ, et, portans librum ordinis, nisi sit corpus Domini portaturus: tunc enim portatur ab alio; deinde sequuntur antiquiores, et ceteri per ordinem, et in eundo dicitur: *Miserere mei, Deus.* Porro si infirmus eâ die non communicavit, portat sacerdos corpus Domini, et calicem habeat ad eum communicandum. Aportatur etiam vinum et aqua, et praeparatur cinis benedicendus. Et intrans domum, dicat sacerdos aspergens aquam sanctam: *Pax huic domui, et omnibus* &c. ℟. *Amen.* Tunc dicit infirmus: *Confiteor*, si scit. Si non, maternâ linguâ generaliter confitetur, conventus congregetur privatâ confessione. Sed et tunch si quid ad memoriam reduxerit, privatim confiteri poterit. Post confessionem dicit sacerdos: *Misereatur tui omnipotens* &c. et absolvit eum. Et post absolutionem dicat sacerdos: *Salvum fac* &c. ℟. *Deus meus* &c. *Esto ei* &c. ℟. *A facie* &c. *Nihil proficiat* &c. ℟. *Et filius* &c. *Dominus vobiscum.* Oremus. *Ora-*

tio. Haec et sequentes orationes dicuntur sub una conclusione. Deus qui famulo tuo Ezechiae ter quinos annos ad vitam donasti; ita et hunc famulum tuum à lecto aegritudinis suae potentia tua erigat ad salutem. *Oratio.* Deus, qui beatum apostol. tuum Jacobum loquutus es dicens: Infirmatur quis &c.=Qui vivis...ejusdem &c. Deinde dicitur Ps. *Domine ne in furore* &c. primus. Post cujus finem ungitur ejus visus, et dicitur: *Per istam unctionem.... per visum.* Et ita post singulorum VII psalmorum finem repetitur haec eadem oratio ad singula quibus inungitur loca, idest, ad auditum, ad odoratum, ad gustum, sive loquelam, ad tactum, sive ad manus, ad incessum pedum, ad ardorem libidinis, idest, ad renes. Et ad singulas inunctiones fit tersio cum stupâ, postea iterum tergitur os ejus mapâ, sacerdosque digitos tergit et abluit, et ab omnibus fanquam profecturus pie osculat +. Dicit infirmus *Credo in Deum*, vel instruitur ut fidem ecclesiae catholicae maternâ linguâ confiteatur. Et hortatur ut veniam petat, et in se peccantibus de corde puro dimittat. Quo facto communicat, cantantibus qui assunt communionem: *Hoc corpus, quod pro vobis tradetur: hic calix novi testamenti est in meo sanguine, dicit Dominus: hoc facite quotiescumque sumitis, in meam commemorationem.* Post haec dicuntur orationes istae sub una conclusione: Dominus vobiscum. Oremus: *Oratio.* Respice Domine, famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem, et animam refove &c. *Oratio.* Deus qui fecturae tuae pio semper dominaris affectu, inclina &c. *Oratio.* Deus qui humano generi et salutis remedium, et vitae aeternae munera contulisti, conserva &c. Per Dominum.

Sequitur benedictio cineris, cui infirmus superponendus est. Oratio. Deus indulgentiae, pietatis, et misericordiae, qui ninivitis cinere et cilicio indutis, et misericordiam

tuam clamantibus subvenisti: exaudi nos propitius, et hanc creaturam cineris, qua peccatores indulgentiam tuae sanctae misericordiae implorantes utuntur, benedi✠cere dignare, et sanctificationis tuae gratiam super eum infunde: ut quicumque pulveris hujus conclusione aspersus fuerit, indulgentiam, et remissionem omnium peccatorum à te, piè, omnipotens Deus, mereatur accipere. Per Dominum. *Et aspergit cinerem aquâ sanctâ.* His peractis, aqua benedicta in aliquo vase ibi remaneat. Sacerdos vero et conventus revertuntur eo ordine quo venerunt.

De appropinquante ad mortem.

Cumque jam mori putabitur ab hiis qui ei serviunt, signo dato, postpositâ omni occasione occurrunt cuncti, nisi tunc in ecclesiam divinum contigerit celebrari officium. Tunc enim prior, vel cui ipse iniunxerit habens cucullam ecclesiasticam et stolam cum duobus aut tribus ad morientem festinat. Depositoque eo super benedictum cinerem (*a*) laetaniam pro ut res patitur longam, vel brevem faciunt, sacerdote cum cucullâ ecclesiasticâ et stolâ illam inchoante.

Dicitur laetania sanctorum. Et in fine: *Pater noster. Salvum fac* &c. *Esto ei* &c. *Nichil proficiat* &c. *Dominus vobiscum.* Oremus. Misericordiam tuam, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, pietatis affectu rogare pro aliis cogimur, et qui pro nostris supplicare peccatis nequaquam sufficimus, tamen de tua confisi &c. Per Dominum.

(*a*) Sufficit lectum in quo jacet modico cinere respergi secundum ordinationem capituli generalis anni M. CCCCXXII. factam.

Quid fiendum quando tardat mori.

Quo mori tardanti, qui circa eum cum licentiâ remanserint, legant passiones. Quo defuncto, signo postis iterum congregantur omnes, nisi tunc divinum officium in ecclesiâ celebretur: quia tunc, ut supradictum est, prior, vel is cui injunxerit, portans secum stolam cum cucullâ ecclesiasticâ, cum duobus aut tribus ad mortuum festinat, et statim à praesentibus dicantur V psalmi, *Verba mea, Domine, ne in furore. Dilexi. Credidi propter. De profundis. Pater noster. Ave Maria. A porta inferi. Dominus vobiscum.* Oremus. Deus cui proprium est misereri semper et parcere, propitiare animae famuli, et sacerdotis tui (si sacerdos fuerit) et omnia &c. Per Dominum. Exinde agenda plenaria cum laudibus et vesperis. Post hanc psalterium. Interea abluitur defunctus, et induitur monachus cilicio, et tunicâ, cucullâ, caligis et pedulibus. Laicus tunicâ, et capucio, caligis et pedulibus (*a*). Inde imponitur feretro.

Parato igitur corpore et fossâ apertâ, si defunctus est monachus, prior indutus cucullâ ecclesiasticâ, et stolâ, praecedentibus qui portant crucem, ignem, aquam sanctam et turibulum, et conventus subsequens veniunt ad cellam ubi est corpus, et de bonâ consuetudine, eundo, et redeundo conventus dicit submissa voce *Miserere mei* &c. quibus cellam ingressis aspergitur corpus, aquâ sanctâ, à sacerdote, à quo etiam turificatur crux ter, et corpus, scilicet faciendo signum magne ✠ cum turibulo super cor-

(*a*) *Et pedulibus. Pedulia, pedules*, tibialia, pedum indumenta. Gregor. Turon. (de vitis Patr. cap. VIII.) *Denso cucullo, aptatus* pedulis *pedes aperuit.* Guigo (Vit. S. Hugon. n. 30.) *Mandare curavit, ut de caligis* pedules *abscinderet.*

pus: qui modus turificandi servatur in sequentibus quotiens turificatur corpus, vel fossa. Et intermissâ psalmodiâ, dicit sacerdos preces et orationes sequentes cum cucullâ ecclesiasticâ et stolâ, altâ voce: *Pater noster* &c. ut infra. *Et ne nos. In memoria* &c. prout est infra punctuatum, nichil mutando. Cùm vero laicus defunctus apportatur, superius ponitur ante portas ecclesiae, et praesente conventu prior indutus cucullâ ecclesiasticâ cum stolâ exit ad eum, et aspergit et turificat ut supra, et incipit altâ voce: *Pater noster. Et ne nos* &c. et subdit per dictas preces et orationem. ℣. *In memoria.* ℣. *Ne tradas.* ℣. *Ne intres. Dominus vobiscum.* Oremus. *Oratio.* Deus cui omnia vivunt, et cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius &c. Per Dominum. = Hiis expletis cum psalmodiâ submissâ, ut dictum est supra, fertur in ecclesiam, praecedentibus qui portant aquam sanctam, ignem, crucem, turibulum, et sacerdote, et conventu. Cum autem est corpus ad introitum ecclesiae, cantor incipit altâ voce ℟. *Credo quod* &c. Interim collocatur crux ad caput, et unicum lumen. ℟. cum ℣. et repetitione finita cantatur *Kyrie eleison, Christe, Kyrie*, et incipit sacerdos altâ voce: *Pater noster*, et aspergit corpus et turificat crucem et corpus, et subdit: *Et ne nos* &c. *A porta. Nichil proficiat. Ne intres.* Dominus vobiscum. Oremus. *Oratio.* Suscipe Domine animam famuli tui, quam de ergastulo hujus saeculi vocare &c. Per Dominum.

Posito autem in ecclesiâ defuncto, repetitur psalmodia ubi fuerit intermissa; et hoc omnino procuratur, ut duo ad minus psalteria dicantur, unum in ecclesiâ, alterum in cellis cum veniis. Si verò de eo quod in ecclesia dicendum est, restiterit aliquid, redditur in cellis. Nam si tempus permittit, eadem die, non tamen nisi prius pro eo missâ cantatâ, sepelitur: sin autem, servatur in crastinum,

noctemque ipsam Monachi cum laicis et pro ipsius numero, et pro ipsius quantitate dividunt circa corpus, psalterium frequentantes (*a*). In crastino autem, missâ cunctis cantatâ praesentibus, sepelitur hoc modo. Stat chorus juxta corpus, et sacerdos indutus albâ cum stolâ, et manipulo à dextris contra medium feretri, et incipit alta voce: *Pater noster.* Et aspergit corpus, et turificat crucem, et corpus, et subdit: *Et ne nos.=A porta.=*Dominus vobiscum. Oremus. *Oratio.* Deus vitae dator, et humanorum corporum reparator, qui te à peccatoribus exorari voluisti, exaudi &c. Per Dominum. ℟. *Credo quod* &c. *Kyrie eleison. Pater noster.* Aspergit, et turificat. *Et ne nos.=Ne intres.=*Dominus vobiscum. Oremus. *Oratio.* Deus qui animarum amator es, animam famuli tui, quam cum in corpore maneret, vera tenuit fides &c. Per Dominum. ℟. *Ne abscondas* &c. *Kyrie eleison. Pater noster.* Aspergit, et turificat. *Et ne nos. Ne tradas.* Dominus vobiscum. Oremus. *Oratio.* Non intres in judicium cùm servo tuo, Domine &c. *Kyrie eleison. Pater noster.* Aspergit et turificat. *Oratio.* Fac, quaesumus Domine, hanc cum servo tuo misericordiam &c. Tunc portatur ad tumulum cum psalmis infrascriptis. Et praecedunt qui portant aquam sanctam, ignem, crucem, quae in quadragesimâ cooperta fertur et portatur à novitio, turibulum à procuratore, cetera à laicis deferuntur; post hos sacerdos: sequuntur antiquiores, deinde qui portant corpus, et post illos laici fratres, et donati (*b*). Ps. *In exitu. Miserere.*

(*a*) Capitulum tamen generale dispensavit ut sine missâ possit sepeliri, si de ejus reservatione periculum immineret.

(*b*) *Donati* dicti laici conversi, qui sese et bona sua monasteriis offerebant; vel, ut habent statuta ord. cartus. ann. 1368. (part. III. cap. III. §. 4.) *qui ordini se et sua dederunt, et nobiscum resident continuè.* Conversos omnes *donatos* usitato vocabulo nuncupa-

Confitemini. Quemadmodum. Memento. Domine probasti. Inclina. Laudate Dominum de coelis. Benedictus Dominus Israel. Magnificat. Isti psalmi inoepti in ecclesiâ continuantur alternatim per conventum semper submissâ voce eundo ad sepulturam; et in sepulturâ stantibus monachis unoquoque in choro suo, hinc inde versus sepulturam, modicum segregatis à sepultura, ne mutuo se perturbent. Cùm ventum est ad sepulchrum, qui crucem tenet stat ad caput sepulchri, et qui portat aquam et turibulum juxta sacerdotem, et submissâ voce incipit sacerdos. *Pater noster. Et ne nos. A porta. Dominus vobiscum. Oratio.* Tibi Domine commendamus animam famuli tui, ut defunctus saeculo tibi &c. Per Dominum. Tunc benedicit fossam sic: *Dominus vobiscum.* Oremus. Deus qui fundasti terram, formasti coelos, qui omnia sidera statuta fixisti, qui captum laqueo &c. Per eumdem....ejusdem. Post haec aspergit aquâ sanctâ fossam, turificat crucem et fossam. Deinde ponitur in eâ corpus, et sacerdos primus ponit terram, et dum operitur dicit sacerdos orationes istas, ceteris praedictos psalmos canentibus *Dominus vobiscum. Oratio.* Obsecramus misericordiam tuam, omnipotens aeterne Deus, qui hominem ad imaginem tuam creare dignatus es: ut spiritum &c. Per Dominum. *Oratio.* Deus, apud quem mortuorum spiritus vivunt, et in quo electorum animae, deposito carnis onere, plena &c. Per eum qui venturus est judicare vivos et mortuos et saeculum per ignem. *Oratio.* Te, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, supplices exoramus pro spiritu famuli tui, quem ab erroribus &c. Per eum qui venturus est &c. ut supra. *Oratio.*=Oremus, fratres charisssimi, pro spiritu chari nostri, quem Dominus de laqueis &c. Qui

tos fuisse; auctor est Trithemius (lib. I. epist. 75.) In quibusdam monasteriis *oblati*, in aliis *coadjutores* audiunt.

vivit. *Oremus.* Deus, qui justis supplicationibus semper presto es, quia pia vota dignaris intueri &c. Per Dominum. *Oratio.* Debitum humani corporis sepeliendi officium fidelium more complentes &c. Per Dominum. *Oratio.* Temeritatis quidem est, Domine, ut homo hominem, mortalis mortalem, cinis cinerem tibi Deo et Domino nostro audeat commendare; sed qui aterra suscipit terram, et pulvis convertitur in pulverem &c. Per Dominum, *Oratio.* Omnipotentis Dei misericordiam deprecamur, cujus judicio, aut nascimur, aut finimus, ut spiritum fratris nostri quem Domini pietas &c. Per Dominum. *Oratio.* Inclina Domine aurem tuam ad preces nostras quibus &c. Per Dominum. Quibus pariter et psalmis expletis incipit sacerdos altâ voce *Pater noster.* Et aspergit tumulum, turificat crucem et tumulum: sequitur *Et ne nos. Dominus vobiscum.* Oremus iste: Tibi Domine commendamus: require ante benedictionem sepulchri. *Alia oratio.* Deus, cujus miseratione animae fidelium requiescunt; famulis et famulabus tuis omnibus, hic et ubique &c. Per eumdem. Et quilibet habet suam conclusionem. Quibus finitis et ℣. ad quamlibet *Amen* tenente sacerdote aspersorio, et ciminterium aspergente, hoc ipso ordine quo venimus, redimus. Deinde à sepulchro redeunt cantantes: *Miserere mei Deus* &c. et etiam *De profundis*, si opus fuerit. Quo in ecclesiâ finito, dicat sacerdos stans ad lectorium in voce qua dictum est, *Miserere*, nobis inclinantibus ad.... *Requiem aeternam. Pater noster* in silentio. *Et ne nos. A porta inferi. Dominus vobiscum. Oremus.* Et in ecclesiâ totum completur officium, et dicatur haec *Oratio.* Fidelium Deus omnium conditor &c. Qui vivis. Requiescant in pace. Amen.

IV.

Copia de una carta original de Gerónimo de Zurita (a).

En el sobre.=Al muy reverendo y muy magnífico señor, mi señor, el padre D. Miguel de Vera, prior del monasterio de Portaceli de la cartuxa del reyno de Valencia.=

Muy reverendo y muy magnífico señor. Muchos dias ha que yo hubiera enviado á V. P. la biblia trilingüe del Cardenal, que compré de la librería del obispo de Osma en seis tomos para esse convento, si se hubiera ofrecido persona cierta con quien embiarla. V. P. perdone la tardanza, y reciba este tan pequeño servicio de mi mano como de quien dessea emplearse en todas las cosas que tocaren á essa santa casa como muy devoto della, y mas obligado. Es obra que quanto mas tiempo passare tendrá siempre mas estimacion, aunque en Anvers se imprime otra, y dicen que con muchos cumplimientos; pero no será poco que tenga la autoridad que á esta se da por todos comunmente. Si por acá se ofreciere alguna cosa en que poder servir á V. P. ó á essa santa casa, será para mí merced muy grande que se me embie á mandar. Guarde nuestro Señor, y prospere á su santo servicio la muy reverenda y muy magnífica persona de V. P. De Madrid á V de Enero de 1571. A todos essos señores padres mios beso las manos. Besa las manos de V. P. su muy cierto servidor.=*Gerónimo Zurita.*

Las que van para el señor Frances Beneyto, en que van ciertas bulas, me importan mucho; suplico á V. P. se encomienden á persona que las dé en sus manos.

(a) Se conserva al principio del tomo primero de la Biblia complutense que regaló el mismo á los monges de la cartuja de Portaceli.

V.

Carta de los jurados de Valencia al emperador Cárlos V sobre la llegada del doctor Juan Celaya á aquella ciudad.

S. C. C. R. M.

Un gran doctor de Paris, natural de aquesta vostra ciutat de Valencia, nomenat mestre Joan de Salaya es vengut aci a visitar sa mare, y sos parents, e segon som informats, va a vostra cesarea e real magestad demanat per aquella. E per que sera molt gran servei de vostra magestat, et benefici universal, no sols dels studiants de aquesta universitat, mes encara de les altres universitats, e studis generals de aquestos seus regnes de Espanya, que sent tan famos doctor, lo qual continuament, desque es vengut, ha preicat en aquesta ciutat, y en ses prehicacions ha fet grant fruit axi per la gran doctrina com per la bona vida de aquell; resida e tingues catedra doctoral en lo studi general de aquesta vostra ciutat: la qual ne seria molt honrada que fill natural de aquella la tingues. Desijam, e volriem ab totes nostres forces procurar, que lo dit mestre Salaya se volgues aturar y assentar en aquesta ciutat, jatsia la dita ciutat al present per les grans adversitats, e dans que ha sostengut a causa de les rebelions e comocions populars, no puga satisfer, ni donarli tan gran salari que correspongues al que en França cascun any li donen; que alla segons havem sabut, fan molt gran cas de ell: e per la gran fama e doctrina sua li han donat una dignitat, de la qual reb cascun any setcens ducats de salari; e ultre aço, es vicari general de deu Bisbats en les terres de França; de forma que cascun any de totes estes dignitats te pus de mill ducats de salaris, et renda certa,

lo que es impossibile aquesta ciutat poderloi donar per la raho de sus dita. Empero confiam, que per ser lo dit mestre Salaya, natural daquesta ciutat, si nosaltres per alguna via li podem procurar alguna dignitat ecclesiastica, e donarli per altra part algun rahonable salari, elegira pus prest restar en aquesta ciutat, que es mare de aquell, que no tornarsen en França.

E per ço recordant nos que v. magestat te una canongia en la seu catedral daquesta ciutat, de la qual sa magestat no reb ninguns emoluments, sino quant es personalment en aquesta sua ciutat, y essent absent daquella, la dita canongia tos temps vaga: y creent nosaltres que per esser lo dit mestre Salaya home de molt bona vida, tenint la dita canongia, sera content ab lo salari que nosaltres li constituhirem, residir y aturar en aquesta ciutat y estudi general daquella, y fer hi tal fruit que nostre Senyor Deu, y v. magestat ne seran servits, y aquesta vostra ciutat molt decorada, et honrrada: habem dellibe-rat scriure e suplicar a v. magestad, sia merce de aquella fer gracia de dita canongia al dit mestre Salaya de vida sua tan solament, e manarli, que residexca en aquesta vostra ciutat, permetent sa magestat en nenguna manera que un tan gran doctor, como es aquest, sen torne a França, sino que reste en aquesta ciutat e regne, peraque tota hora que dell se volrra servir, sia pus prompte pera tot lo que convinga al servey de nostre Senyor Deu, y de vostra cesarea magestat, y salvacio de les animes. Suplicant la divina magestat conserve e augmente la vida e imperial estat de v. magestat ab triunfo e victoria dels enemichs de la sua imperial e real corona. De la vostra ciutat de Valencia a XI. de Juliol MDXXV. = De V. C. C. R. M. = Humils subdits e feels vassalls, que besen les mans de v. magestat. = Los jurats de Valencia.

Traduccion castellana de este documento.

S. R. C. C. R. M.

Ha venido á esta vuestra ciudad á visitar á su madre y á sus deudos un gran doctor de Paris, natural de ella, llamado el maestro Juan de Salaya, el qual hemos entendido que va á vuestra corte llamado por V. C. R. M. Y por quanto se haria un gran servicio á V. M. y general beneficio á los estudiantes, no solo de esta universidad, sino de las otras y de todos los estudios generales de estos vuestros reynos de España, si este famoso doctor, que desde su llegada predica continuamente en esta ciudad con gran fruto por su mucha doctrina y su buena vida, residiese en ella, y tuviese cátedra doctoral en su estudio general; de lo qual por otra parte le resultaria mucha honra por ser hijo suyo: deseamos y quisiéramos procurar con todas nuestras fuerzas que el dicho maestro Salaya se resolviese á permanecer y avecindarse en esta ciudad, no obstante que desde luego la ciudad por los grandes contratiempos y daños que ha padecido, á causa de las rebeliones y alborotos del pueblo, no pueda consignarle una dotacion anual correspondiente á la que tiene en Francia, donde sabemos se hace gran caso de su persona, y que por su gran crédito y doctrina le han dado una dignidad que le vale setecientos ducados; y ademas de esto es en aquella tierra vicario general de diez obispados, de suerte que junta en todo mas de mil ducados de renta fixa, á que no puede llegar esta ciudad por lo que llevamos expuesto. Mas por ser dicho maestro Salaya hijo de esta ciudad, confiamos que si por algun medio pudiésemos procurarle alguna dignidad eclesiástica, y darle ademas alguna de-

cente dotacion, preferiria quedarse en esta su patria.

Por tanto, teniendo presente que V. M. tiene en la iglesia catedral de esta ciudad una canongía, de que no percibe emolumento ninguno sino quando se halla presente, y que durante su ausencia está siempre vacante: juzgando tambien que por ser el dicho maestro Salaya hombre de muy buena vida, obteniendo esta canongía, se determinará con el salario que le consignemos á residir y permanecer en esta ciudad y su estudio general, y hacer aquí tal fruto que ceda en servicio de Dios nuestro Señor y de V. M. y decoro de esta vuestra ciudad: hemos deliberado escribir á V. M. suplicándole tenga á bien agraciar con esta canongía al dicho maestro Salaya durante su vida solamente, y mandarle que resida en esta vuestra ciudad; disponiendo V. M. que un doctor tan insigne no se vuelva á Francia, sino que permanezca en esta ciudad y reyno, para que á todo tiempo que quiera servirse de él, esté mas á mano para quanto convenga al servicio de Dios nuestro Señor y de V. C. M. y á la salvacion de las almas. Suplicamos á Dios nuestro Señor conserve y aumente la vida é imperial estado de V. M. con triunfo y victoria de los enemigos de su real é imperial corona. De vuestra ciudad de Valencia á 11 de Julio de 1525.=D. V. C. C. R. M.=Humildes súbditos y fieles vasallos, que besan las manos de V. M.=Los jurados de Valencia.

VI.

Acuerdo del cabildo de la colegial de Xátiva en que fue elegido patrono de la ciudad S. Félix mártir, diácono de Gerona (a).

"A 15 de Hoctubre 1643 ajustats y convocats &c. presehint convocasio feta per lo pertiquer foren presents los senyors Antoni Mener, Dega, Honorat Guitart, sacrista coadjutor, Batiste Malferit, capiscol, J. Bru, canonge, Lorens Bru, Pere J. Balloch, Agusti Pellegero, Bernardo Ferre, Miguel Oltra, Sabastia Nicolini, Juseph Pelegero coadjutor, Diego Anguerot coadjutor, representant la mayor part dels residents, per part de la ciutat la festivitat que se ha de celebrar en honra del patro, ajustanse al orotu propi de Urbano Hoctavo, nomenen en patro al beneyt S. Pheliu, diaca, celebrador en lo primer dia de Agost cascun any perpetuament, conforme se ha rebut en hacte per Juseph menor, nott. en lo dia de a 16 de Hoctubre 1643; y per part del capitol se notificá la embajada particular tornada, a la que la ciutat feu por lo senyor canonge Lorens Bru, a efecto de representaro en lo Consell general. E dixeren que si se acceptaré dita nominacio, y beurien de quin modo se podria cortejar dita festa y solemnisar la millor que fins al dia de huy; y de lo que exedirien de dita festa ne darien raho al reverent capitol; y lo demes que ya agut en este negoci mes llargament se veura continuat en lo libre de ordinations vell a cartes noranta sinch."

(a) Hállase en la pág. 487 del libro de Acuerdos capitulares, que empieza en 1594 y acaba en en 1650.

En otro libro fol. que comienza por los acuerdos capitulares del año 1470, en la pág. 319 se halla esta misma noticia mas circunstanciada. Dice así:

Havent vist per lo discurs de son pontificat de Urbano VIII, anno 20 de son pontificat lo exces de la celebracio de les festes colents que habia en moltes terres, y que de qui naxien passar necessitat le persones menesteroses que havien de pasar de son treball, y que les que eren colents no les guardaven conforme era menester, y de axo havia moltes clamors del ordinaris al sumo pontifice, que lo obliga a regular les festes a cert numero, y que aquelles fosen tant solament de guardar, com son les seguents: los diumenges &c. &c. Y en dit bulleto dispon que cada reyne nemene patro, pera la ciutat metropoli un patro, y altre peral reyne que sien de guardar. Y la ciutat de Valencia a S. Vicent martir nomena patro de la ciutat y S. Vicent Ferrer del reyne. Y axi matex en dit bulleto eo-motu proprio ordena que cada ciutat eo vila puxa elegir un patro, que sia patro de dita ciutat, eo vila: Y habent vist esta present ciutat de Xativa la facultat pontificia concedida per dit motu proprio, procuraren nomerar patro desta ciutat. Y pera dita nominacio feren una embaxada al capitol, venint en ella Gaspar Malferit, cavaller, jurat en cap en este present any de 1649 en 9 dies del mes de Octubre, acompanyat del racional Thomas Navarro, ciutada y de moltes altres perçones; y proposa que el capitol nomenas patro, que se ajustaria a la nominacio que el capitol faria. Y habent vist lo capitol la obligacio que la ciutat lo possava, pera poder millor asertar en la nominacio donaren un de los senyors capitulars a Lorens Bru, ca-

nonge, pera que regonegues lo archiu a effecte de veure la festivitat de S. Feliu, a qui volien nomenar en patró per estar en posessio de fer la festa en lo primer dia de Agost. Y habent fet diligencia (trobaren) en dit archiu ferse la festa de S. Feliu lo primer dia de Agost per temps de 200 anys, y ans que esta esglesia fora collegial; perque se ha trobat en lo any 1410 que dita festa es celebrava, y que despues de ser collegial mossen Pere Uguet dexa una dobla de 20 sous, la qual fins lo dia de huy es celebra; y altres mès noticies que se han sabut, les quals totes induixen celebrarse la festa el primer dia de Agost a S. Feliu, diaca de Girona, que axi en exerigue en una missa canonical el canonge Garces, dien: *Yo Garces digui missa el primer dia de Agost a S. Feliu de Girona.* Ahon se lleva tota dificultat, perque havia en contrari la opinio de S. Feliu sacerdot, que es a 23 de Abril, de qui les histories diuuen que predica en Xativa. Y per estar esta festivitat de S. Feliu, diaca de Girona, en posessio per tant temps, obliga al capitol nomenar a dit S. Feliu de Girona; y axi ab acte rebut per Jusep Menor, nott. en 16 de Octubre dit any de 1643, en lo qual los senyors capitulars que fermaren dit acte explicaren lo acort que habien tingut en nomenar per patró a S. Feliu diaca en lo dia del primer de Agost, atento que per temps de 200 anys se havia celebrat en dit dia y en honra de dit S., y que havia gran devocio y concurs de gent y los antichs lo celebraven en dient: fem festa a S. Feliu de Girona S. general e doble ab enramada. Y axi se ha trobat continuat per los antichs canonges; y ans tambe quant era parrochial axi matex se celebraba. Y vistes estes rahons ordenaren dits senyors capitulars se tornara resposta en embaxada a la dita ciutat en

lo acte axi matex de la nominacio. La qual embaxada fonch nomenat lo canonge Lorens Bru. Y vista dita resposta la ciutat y acte de nominacio, dixeren que acceptaven, y accepteren dita nominacio, y que en 19 de dit mes de Octubre habien de tenir Consell general, y la representarien a dit Consell; y que procurarien dita nominacio fora acceptada de tot lo Consell; y que si lo Consell volia per maior solempnitat innovar algunes altres coses com de processo, ó altres coses, avisarien de dita novetat los senyors jurats que al present eren Gaspar Malferit, Cavaller, jurat en cap, Gaspar Juan Ruiz, ciutada, Gaspar Agullo, ciutada, y el doctor Agusti Garcia, doctor en cascun dret.

VII.

Scriptura fundationis cujusdam cappellaniae in ecclesiâ Setabensi S. Felicis M. ann. 1275.

EX COD. MS. D. EMMANUELIS JORDAN.

Hoc est translatum bene et fideliter sumptum VI cal. Decemb. anno Domini 1286 à quodam instrumento, cujus tenor talis est.=Sit omnibus notum, tam praesentibus, quàm futuris, quod ego Guillelmus Sentiu, et uxor mea Jordana uterque nostrum in solidum, per nos, et nostros ad honorem Domini nostri J. C. et B. Mariae ejus matris, et ad salutem animarum nostrarum damus et offerimus beneficium personale vobis Raymundo de Monte albo, presbytero: ducentos solidos regalium Valentiae, de quibus dabimus vobis annuatim omni tempore vitae vestrae centum solidos in festo S. Andreae, et alios centum solidos in Resurrectione Domini. Vos verò, dum vobis vita comes, celebretis in ecclesiâ S. Fe-

licis Xativae, et intersitis omnibus horis diurnis, et nocturnis pro animabus nostris, et nostrorum fidelium defunctorum. Concedentes vobis quòd nisi in pace quolibet anno in praedictis terminis nos solverimus, quod recipiatis dictos ducentos solidos annuatim à Sancio Urgelles, seu à suis haeredibus, qui nobis eos facit perpetuò censuales pro triginta fanecatis terrae, et vineae in ortâ Xativae, contiguis honori (a) Petri de Carçasonâ, et Petri Andreae. Item por unâ jovata (b) vineae, quam habemus in Alcudia Xativae contigua vineae Joannis Martiniez de Heredia. Item....quibus domibus in Xativa VII botis (c) quae ibi sunt, quae domus afrontant cum aliis domibus nostris, et cum domibus Jordani, et cum duabus viis publicis. Et nos in diebus nostris paccabimus (d) omnes demandas, et actiones tam reales, quam vicinales quae in praedictis fuerint petitae. Praeterea gratis et ex certâ scientiâ volumus, constituimus, et ordinamus, et de praesenti tradimus in manibus archidiaconi, justitiae et juratorum Xativae, qui pro tempore fuerint, quòd post dies nostros possint dare dictam cappellaniam alicui honestae personae, et facere repraesentationem episcopo Valentino. Et ex dictis CC. solidis, ille qui dictam cappellaniam serviet, solvat et donet omnia subsidia, tàm regalia quàm vicinalia: et haec subsidia tam regalia, quam vicinalia solvatis vos post dies nostros, dum vos dictam cappellaniam tenueritis. Praedictum verò posse archidiacono, justitiae, et juratis Xativae sub tali conditione, et retentione (con-

(a) *Honor* hic pro territorio et districtu usurpatur.

(b) *Jovata*, *jovada*, *jova* majoricensibus et olim valentinis voces familiares, ab ara- jugerum, seu modus agri ager, seù fractus terrae.

(c) *Bota* ab armorico *bót*, acceptae, à בּוֹקֵר (diurnus).

(d) *Paccare*, *pacare*, solvere.

cedimus), quòd eum habeant in defectu haeredum nostrorum. Set si haeredes habuerimus, dictum dominium et posse dictis nostris haeredibus retinemus. Concedentes etiam vobis quòd nisi in obitu nostro fuerit aliquis presbyter de sanguine nostro, qui dictam cappellaniam habere velit, quòd vos possitis dictam cappellaniam post obitum vestrum assignare alicui nepoti vestro, qui dictam cappellaniam habeat in vitâ suâ. Et ut haec donatio majorem optineat firmitatem, ego Jordana juro tactis Dei evangeliis me ipsam ratam et firmam perpetuò habere, et non contravenire ratione dotis, vel sponsalicii mei, vel aliquâ aliâ ratione. Actum est hoc in Xativâ XVI kalendas Julii anno Domini millesimo CC.LXX quinto. Signum Gullelmi Sentiu. Signum Jordanae ejus uxor, qui hoc firmamus. Testes Ferrarius Dareys, vicarius Xativae, Barquinonus de Robines, Berenguarius Ferrarii, praesbyter, et Bernardus de Monte albo. Sig✠num Petri de Fortea, notarii publici Xativae, qui haec scripsit.

Signum Ferrarii de Cloquerio, justitiae Xativae, qui huic translato dedit apojtum per manum mei Petri de Fortea, nott. Xativae; et hoc meum sig✠num facio.

Sig✠num Simonis de Buxo, notarii publici Xativae, qui hoc translatum bene et fideliter translatavit, et cum suo originali firmiter comprobavit, die, et anno praefixis.

VIII.

Collatio cujusdam beneficii eccl. Setabensis S. Felicis M. à D. Raymundo Gaston, episcopo Valentino, ann. 1323.

EX EOD. COD. D. EMMANUELIS JORDAN.

Raymundus, divinâ miseratione Valent. episcopus, dilecto in Christo Francisco Pich, praesbytero, salutem in

Domino. Praesentationem de personâ tuâ nobis praesenti die factam per Jacobum Blanch, vicinum Valentiae, ac procuratorem justitiae et juratorum villae Xativae, prout de procuratione ipsius constat per publicum instrumentum, confectum per Petrum de Coll de Sança, notarium publicum Xativae kalendas Septembris, anno infra inscripto, et per magistrum Arnaldum Johannis de Villanova, procuratorem reverendi patris ac domini domini Petri Penestrinensis episcopi cardinalis ac archidiaconi Xativae in ecclesiâ Valentinâ: ad cappellaniam olim institutam in ecclesiâ S. Felicis Xativae per Gulelmum Sentiu, quondam vicinum ejusdem loci, nunc vacantem per mortem Francisci ça Perera cappellani ejusdem: ad quos justitiam, juratos, et archidiaconum jus patronatus ipsius cappellaniae noscitur pertinere, ducimus admittendam. Et tibi ipsam cappellaniam cum suis juribus universis conferimus et assignamus, ac te instituimus auctoritate praesentium in eadem, teque de ipsâ per nostrum birretum praesencialiter investimus. Mandantes universis et singulis emphiteoticis ac aliis personis tenentibus aliquid per dicta cappellania, nec non vicario perpetuo ecclesiae de Exativa quatenus te habeant, et admittant in cappellanum dictae cappellaniae, ac tibi respondeant de omnibus juribus ad ipsam pertinentibus integrè et completè, nullo à nobis super hoc mandato alio expectato: mandamus tibi jam dicto Francisco quatenus intersis in ecclesiâ majori Xativae omnibus horis diurnis, et nocturnis, et aliàs deservias ipsi cappellaniae in ecclesiâ S. Felicis praedictâ personaliter in divinis. In cujus rei testimonium praesentem litteram tibi concedimus, sigilli nostri munimine roboratam. Data Valentiae quinto idus Septembris, anno Domini millesimo C.C.C. vicesimo tertio.

IX.

Alphonsi de Borgia (postea Calixt. III) epistola ad capitulum ecclesiae Setabensis, qua de suâ ad Valentinum episcopatum promotione eos certiores facit.

EX AUTOGR. IN ARCH. ECCL. SETABENSIS.

Venerabilibus decano, et capitulo ecclesiae collegiatae civitatis Xativae:

Venerabiles viri: Christus Jesus benedictus, intercessione sacratissimae matris suae compatiens ipsi ecclesiae diu viduatae, die gloriosae Assumptionis reginae coeli dum *dictarum* (*f.* divinarum) missarum solempnia agerentur, per certum nuncium denunciari voluit per nostrum catholicum principem dominum regem reverendissimo domino Leguato intentum suum ut michi de ecclesiâ Valent. provideret: qui eadem horâ fuit valde contentus, et praecedenti solitâ informatione, eri prius assumpto ordine praesbyteratus, michi providit de ipsâ ecclesiâ, et me, licet inmeritum, pronuntiavit ejusdem ecclesiae praesulem, et pastorem. Hodie in ejus praesentiâ est michi collatum munus consecrationis. Placeat altissimo; et ejus beatissimae Genitrici, ut taliter ecclesia praedicta gubernetur, quòd in die judicii de talento michi comisso, prout spero, debitam valeam reddere rationem. Laudarem ut inde fierent devotae processiones, ut meritis intemeratae virginis gloriosae, quae in suâ principali solempnitate, quae caput est ipsius ecclesiae, et ejus octavis, dieque Beati Bernardi ejusdem devoti concinatoris (f. *conciona-toris*) à Salvatore nostro optinuit provideri tantae ecclesiae de pastore, ab ipsâ civitate et diocesi removere dig-

netur pestem mortiferam, et concedat pacem ad ejus laudem, et honorem christianissimi principis nostri: habentes bonam in Domino confidentiam quòd exaudiet preces nostras. Michique scribatis in omnibus, quae videritis opportuna ipsi ecclesiae, in qua pabulum sancti baptismi assumpsi. Scriptae Paniscolae XXI Augusti. Vos Domine oficialis infra oficialatum haec denunciate. Ad voluntatem vestram promptus A. episcopus Valent.

X.

Ejusdem Alphonsi de Borgiâ, cardinalis, alia epistola ad capitulum eccl. Setabensis, qua post brevem calamitatum sui temporis descriptionem, nepotem suum Rodericum de Borgiâ in ejusdem ecclesiae praecentorem electum indicat.

EX AUTOGR. IN ARCH. EJUSD. ECCL.

Venerabilibus viris decano et capitulo nostrae collegiatae ecclesiae Xativae, amicis nostris charissimis, A. cardenalis Valentinus.

Venerabiles viri, amici charissimi: factâ concordiâ cum regiâ majestate super nostris tribulationibus per viam subsidii generalis, magis est divinum, quàm humanum nos vivere; et si homines taceant, lapides sentiunt martyria nostra pro ipsâ diocesi et aliis ecclesiis. Mittimusque omnium revocatoriam regiam, et etiam bullas, et processus apostolicos, ex quibus videbitis nepotem nostrum Rodericum de Borgiâ, sacristam, provisum fore de canonicatu et praecentoriâ ipsius ecclesiae collegiatae; ut duos nepotes, immo filios, matrix ipsa ecclesia, ubi pabulum baptismatis suscepimus, etiam post obitum nos-

rum teneat, Christo dante; et nos, et ipsi, opportunitate captatâ, ecclesiam ipsam extollémus. Et si malignitas temporum, quae vix necessaria nobis, et aliis dimittit, non impedivisset, desiderium fervens est. In admissione dicti nepotis nostri, et aliis operemini ut de vobis firmiter confidimus. Gaudemus quòd per vicarium nostrum magistrum Bou avisati sumus dê cultu divino et reformatione morum, silentio, et honestate, eliminatis peccatis publicis, ac concubinatu et de....bonâ voluntate ac prudentiâ nostri officialis. Placeat continuare de bono in melius. Unum non obmittimus quod per litteras dicti vicarii nostri sentimus, quòd et si cappellam ereximus sumptuosam saepe....et credentes complacere vobis dicentibus carere domo pro capitulo; et hac de causâ plus debito expendimus; quod jam tenetis domum pro capitulo convenientiorem; et si sic fiat voluntas vestra, quam scire desideramus super hoc. Nam pro nobis facit quod dicta capella sit libera à tenendo ibi capitulum. Sepe contingit verificari illud: *Displicet imprudens quando placere putat;* ut latius praefatus vicarius noster enarrabit cetera. Et conservet vos Deus feliciter. Romae vicesimâ Januarii. Et recomissum nos facimus devotis orationibus vestris, et totius cleri; nam bené tenentur orare pro nobis.

XI.

Breve Calixti III ad capitulum ecclesiae Setabensis in commendationem Ausiasii Ferran, familiaris sui.

EX AUTOGR. IN ARCH. ECCL. SETAB. (*Lit. A. n.* 22.)

Dilectis filiis capitulo ecclesiae Xativae.

Calixtus papa III.=Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem: providimus nuper dilecto filio Ausiasio

Ferran, clerico Valentino, familiari nostro, continuo comensali, et secundum carnem de parentelâ nostrâ, de quodam simplici beneficio ecclesiae vestrae, quod vacare voluimus propter assecutionem rectoriae Sancti Matthaei Dertusensis diocesis, quam contulimus dilecto filio Ausiasio Puig, prout in nostris litteris provisionis hujusmodi latius continetur. Quare devotiones vestras hortamur, eisque in virtute sanctae obedientiae praecipiendo mandamus, ut dicto Ausiasio Ferran, qui propter ejus virtutes et grata servitia, quae nobis impendit, carus et acceptus est, vel suo procuratori possessionem pacificam dicti beneficii juxta formam et tenorem aliarum litterarum tradere, et assignare velitis, ipsumque in omnibus commendatum habeatis, prout in vestris devotionibus confidimus et speramus. Dat. Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die XIIII Julii M.CCCC.LVIII. pontificatus nostri anno quarto.

XII.

Petri Ransani, panormitani theologi, ordinis praedicatorum, ac dein episcopi Lucerini, opuscula duo de vitâ et gestis S. Vincentii Ferrerii Conf.

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA EX COD. MS. INIT. SAEC. XVI, QUEM PENES NOS HABEMUS.

MONITUM.

Hominis Itali scriptis locum in hac nostrâ rerum Hispanicarum collectione dare constituimus, quòd de Hispano, eoque sanctissimo concionatore sermo in iis sit, cujus ille aetatem et postrema fata attigit, tum et solemni ipsius apotheosi testis oculatus interfuit, ac Calixtum III

Hispanum Setabensem, de suâ ad Petri sedem evectione juxta D. Vincentii prophetiam fidem praebentem, audivit. Porrò Ransani vitam et scripta Quetif et Echard in Bibl. script. ord. praed., et rerum sicularum commentatores illustrarunt, qua in re nonnulla et nos in notis dabimus. Modo de his opusculis pauca praefamur.

B. Vincentii eximios labores, et iis partam gloriam quatuor libris Ransanum descripsisse, ipsemet in epistolâ mox exhibendâ testatur, idque hortatore Martiale Auribellio, O. P. magistro generali, ac jussu Calixti III P. M. librum V huic operi addere cogitabat, quò de canonizatione ejusdem Divi ageret, quemadmodum ex lib. III. n. 6. Henschenius et Papebrochius admonuerunt (*Act. SS. ad diem V. April.*). An vero illum scripserit, hucusque incompertum. Illud constat, anno 1463 quo praesentem dedit epistolam, commentarium de vitâ S. Vincentii libris tantum quatuor contineri, ut ex ejus contextu liquet. Hoc autem opus edidit Laurentius Surius emendatâ lectione, nonnullisque truncatis locis; ex quo Antonius Senensis, Bzovius, et alii vel descripserunt, vel contraxerunt. Henschenius verò et Papebrochius eundem Ransani commentarium dederunt absque Surii emendationibus, servato, ut aequum erat, primigenio stylo, ex cod. Ultrajectino membranaceo, non integrum quidem, cùm quartus liber eorum judicio prolixior esse debuerit, quintus vero solo initio constaret. Alium hujus operis codicem se conspexisse testantur in bibliothecâ praeclari Ebracensis monasterii inter Herbipolim et Bambergam. Sed cùm post annos duodecim epistolam illuc direxerint, si fortè in eo codice liceret invenire quae in Ultrajectino desiderabantur; quacumque adhibita operâ illum reperire non licuit. *Eo tantum serviet*, inquiunt, *haec monuisse, ut si ipse vel alius similis alibi inveniatur, cum hic edendis*

conferre velit aliquis, et quod amplius reperiet nobis describere, in operis totius supplemento proferendum.

Dum igitur thesaurus iste effoditur ab eruditis investigatoribus, dabimus nos ex nostro codice sequens Ransani opusculum, quod cum epistola ad Joannem Pistoriensem missit, sensu fortasse unum cum eo, quem diximus, commentario, revera tamen ab eo diversum; cùm excerpta tantummodo contineat ex lib. XX annalium à se conscriptorum; nusquam certè ante hac editum.

Missit et cum illo carmen heroycum in laudem S. Vincentii, centum viginti tribus versibus constans, quod urgente eodem Joanne Pistoriensi cecinerat; cujus quatuor priores versus tantum in actis SS. (*ibid.*) legere licuerat. Modo integrum ex eodem codice proferimus. In ipso alia praeterea ejusdem Ransani opuscula legimus, videlicet, *de vita et martyrio S. Barbarae* scriptum anno 1468.= *Martyrium B. Antonii Lombardi*, seu de Neyrot, O. P. à Tunnisiensibus ob Christi fidem lapidibus obruti, quem ipse auctor novit, sibique aliquando subditum fatetur. Opus praecedit carmen in laudem Pii II Pont. Max.= *Carmen saphicum ad crucem Jesu Christi.* Verum haec tamquam ad Hispanos nihil pertinentia, ne alienâ messe ditescere videamur, missa facimus.

Petri Ransani, panhormitani, ordinis praedicatorum, epistola, quae est veluti praefatio quaedam ad ea, quae scripta sunt ab ipso de vitâ B. Vincentii confessoris.

Joanni Pistoriensi, viro clarissimo ordinis praedicatorum (*a*), Petrus Ransanus, panhormitanus, theologus ejusdem ordinis, S. P. D.

(*a*) De Joanne Pistoriensi, egregio per totam Italiam conclonatore, videsis Bibl. script. ord. praedic. (*Tom. 1. p. 879.*).

Perlegi tuas litteras, vir optime, quibus petis ad te quam primum fieri poterit transmitti opus, quo nuper B. Vincentii, Valentini, Christi confessoris eximii, vitam perscripsi. Cùm enim sis ei praecipuâ devotione dicatus, velle te dicis vulgare cunctis Italiae populis, apud quos es posthac concionaturus, ejus egregias laudes, quibus jure sibi commeruit, ut nostro tempore inter sanctos referretur. Vulgasse quidem te ais jam aliquâ ex parte multa ad viri sanctitatem pertinentia, sed fluctuante animo, jejunâque oratione, cùm nihil adhuc legeris ex ipsius gestis (*a*), quibus quae praedicasti, confirmare abundè potuisses. Quo circa numquam animo te dicis posse conquiescere, donec absque ullâ dubitatione quidnam tibi sit de miris ejus dictis ac factis praedicandum sciveris. Ego, mi Joannes, preterquam quod laudo pietatem, quâ te patri, atque patrono tam sancto obstrinxisti, probo etiam omni commendatione dignum istud consilium tuum.

Ferdinando praeterea primo Neapolitanorum regi, ejusque uxori Isabellae, Tristani comitis *di Chiaramonte* filiae, acceptissimum fuisse scimus; à quibus et dono accepit breviarium ordinis praedicatorum, quo illi scilicet principes utebantur; quod modò bibliotheca regia Matritensis servat. Codicem vidimus membranaceum, eleganti caractere exaratum, litterisque majusculis auro ac minio fulgidis; cujus ad calcem haec notula propria ipsius Pistoriensis manu appicta est: „Hoc breviarium fuit illustrissimae dominae Isabellae uxoris Serenissimi Regis Ferdinandi. Et ipse praefatus rex F. donavit michi, dum praedicarem Neapoli 1467. Itaque modo est mei usus fratris Johannis de Pistorio. Post mortem meam erit mei conventus S. Dominici de Pistorio, nisi praelati aliter de meis ipsis libris et rebus disponant. In hujus rei fidem hoc propriâ manu scripsi."

(*a*) Nullum ante Petrum Ransanum S. Vincentii gesta litteris mandasse, ipsemet satis innuit in prologo vitae quam edidere Henschenius et Papebrochius (*Act. SS. ad diem V April.*).

Quippe nihil docendum debes tibi proponere, cujus reddere non possis probabilem aliquam rationem. Quod probe semper feceris, quotiens docueris, non ea quae vulgus plerumque jactare solet inaniter, sed quae probato aliquo auctore traduntur. Scimus planè omnium populorum Italiae oculos in te conjectos propter claritudinem, quam tibi nostrâ tempestate concionando comparasti. Ideoque fit, ut ex innumerâ auditorum multitudine sit nemo, qui non expectet haurire semper à te doctrinam, cui nullus audeat rectè refragari. Verùm opus, quod petis nunc tibi transmitti, probatum jam à nostri ordinis patribus, qui anno ab hinc octavo conventum egerunt in Monte Pesulano (*a*), majore, quo transcribatur, eget tum impensâ, tum labore, quam arbitreris. Divisum namque in quatuor prolixa volumina est. Differam igitur illud mittere, quousque librarium quempiam nactus idoneum fuero, à quo transcribatur. Quo tamen interim aliquid tuae petitionis assequaris, transcripsi ego celeriter intra bidui spatium ex annalium meorum libro vigesimo (*b*) ea, quae pers-

(*a*) Videlicet die XVI Maji, ann. 1456.

(*b*) *Annales omnium temporum* à se conscriptos auctor indigitat, quibus scilicet ab origine mundi ad ann. 1448 omnium nationum historias complexus est. Cùm autem ejus operis liber hic XX laudetur, vides quam praepostere Caveus in *Hist. litter.*, et Olearius in *Bibl. script. eccles.* Annales P. Ransani sex tantum libris constare affirment. Sed nec Thomae Fazello acquiescere possumus cùm in *Hist. Sicil. Dec. I. lib. VIII.* horum annalium quinquaginta libros agnoscit; multoque minus Mongitorio, qui eos ad sexaginta et unum producit; quamquam hic Panormi in bibl. S. Dominici opus se evolvisse affirmet, octo spissis voluminibus compaginatum. Nam si verè annales, ut idem Mongitorius ait, annum 1448 non excedunt, cum Ransanus temporum ordine non interrupto agat in lib. XX de S. Vincentii vita et morte, quae anno 1419 contigit; quis capiat pro enarrandis ab hac aetate ad 1448 reliquis historiis, quadraginta et uno supersticibus libris

trinxi de ipsius vitâ, deque iis quae gesta sunt post ejus mortem usque ad tempus quo per Callixtum tertium pontificem maximum inter sanctos relatus est. Quae itaque ad verbum, ex eo quod dixi exemplari, transcripta à me sunt, deferet tibi Antonius Ransanus frater meus, qui Panhormo hodie excedit, quò Mesanam negotii cujusdam sui gratiâ proficiscatur; eum tibi commendo, si quo eventu tuâ eguerit operâ. Tu interim perlege singula eo ordine quo à me scripta inveneris. Namque non solum adipisceris non mediocrem notitiam eorum quae cupis, sed notum quoque tibi fiet quibus de causis hoc potius, quàm patrum nostrorum tempore, fuerit inter Sanctos Vincentius relatus; cùm tamen id illi miro quodam ardore affectaverint. Vale Panhormi kalendis sextilibus 1463.

Ad verbum transcripta haec sunt ex exemplari supra nominati opetis. Et ex eisdem habetur magna notitia vitae Beati Vincentii.

Nicolao quinto pontifice maximo defuncto, Calixtus tertius romanae ecclesiae praeficitur omnium patrum consensu; tertio idus Aprilis Romae electus est, cùm aetate penè confectus esset. Alphonsus ante adeptam dignitatem vocabatur. Natione fuit Valentinus (*a*), natus non ignobili Borgiorum familiâ. Vir erat magno ingenio, jurisque pontificii scientiâ praestantissimus. Ad ejus doctri-

indiguisse, qui universas omnium nationum et aetatum historias ab origine mundi ad S. Vincentii tempora viginti libris complexus est?

(*a*) Lucem primam vidit in oppidulo ignobili prope Setabim, quae urbs est regni Valentini in Hispaniâ, antiquitate pollens conspicuâ; cujus et in ecclesia majori S. Mariae sacro baptismate tinctus est, quemadmodum ipse saepius testatur et in bullis et in epistolis ad eam ecclesiam superius in hoc volumine prolatis.

nam vitae accessit integritas. Quarum rerum causâ Alphonsus rex, de quo supra persaepe meminimus, in arduis quibusdam negotiis ejus operâ plurimum usus est. Cùmque cognosceret tantus princeps spectatam fuisse illius fidem, et probitatem, id egit cum romano pontifice, ut Valentinae ecclesiae praeficeretur (*a*). Nec eo honore contentus, egit item ut ad cardinalatus dignitatem eveheretur (*b*). Is multis ante annis, quàm summum adipisceretur pontificatum, complures, quibus familiariter utebatur, sepae jussit bono animo esse: sperare quippe se dicebat fore aliquando, ut ipse romanae praeesset ecclesiae. Multis itaque id expectantibus, duobusque, aut tribus pontificibus mortuis, aliter evenire atque ipse praedicebat animadvertentibus, ridiculum eum, delirumque senem, ridiculas et ejus futurae rei praedictiones esse affirmabant. Ceterum postea quam, Nicolao quinto mortuo, eum viderunt ad maximi pontificis dignitatem evectum, rei eventu maximè stupentes, ex eo quaesiere, quonam afflatus numine futurae hujus rei eventum tanto an-

(*a*) Urgente Alphonso V Aragonum rege, Alphonsus de Borgiâ episcopus Valentinus eligitur die 15 Augusti, ac die postmodum 21 ejusdem mensis Paniscolae consecratur. Haurimus haec ex autographâ ipsius ad capitulum ecclesiae Setabensis epistolâ, quam superius edidimus. Quum autem illa annum, quo data est subticeat, relinquitur adhùc sub judice annus hujus creationis. In *Act. SS. t. 1. April. pag. 483.* indicatur annus 1427. Platina vero et Ciaconius id factum ajunt postquam Alphonsi nostri operâ Egidius Munnozius Benedicti XIII (Lunae) in schismate successor, pontificatu se abdicavit (quod in concilio Dertusensi ann. 1429 contigisse, ex litteris convocatoriis constat), tuncque ajunt à legato cardinali de Fuxo Egidium majoricensi ecclesiae praelatum, et Alphonsum Valentinae. Hujus postremae ecclesiae Episcopologia MSS. annum 1429 Alphonsi nostri consecrationi designant.

(*b*) Creatus est cardinalis praesbyter titulo SS. Quatuor Coronatorum ab Eugenio IV die XII Julii anno 1444.

te tempore, tamque constanti, ac totiens repetitâ voce praedixerit. Eis ipse in hunc modum respondisse fertur: memoriae mihi est olim mihi adolescentulo fuisse dictum à viro illo doctrinâ ac pietate, et vitae sanctitate maximè insigni, famaeque claritudine olim toto orbe celeberrimo, Vincentio Ferrerio, ordinis praedicatorum, fore aliquando ut mortalium omnium ego eminentissimus essem, utque ipsum jam vitâ functum essem super mortales omnes laude atque honore, et veneratione prosecuturus. Haec ego tanti viri dicta, quod praeter doctrinam, et virtutem, integritatem, atque sanctitatem, futurarum etiam multarum rerum praescius vates erat, ita memoriae condita tenui, ut ejus rei nulla unquam cesserit oblivio. Cùm igitur nunc, quod ille futurum praedixerat, factum jam in me, Dei munere, videam; nihil reliqui est, nisi ut in ipso ego impleam, quod à me pontifice maximo in se implendum vaticinatus est (*a*). Est ergo mea sententia, ut tantus vir inter Christi Sanctos à me, quam primum fieri poterit, referatur. Haec pontifex cùm dixisset, accersito ad se quam primum Martiale Auribellio, theologo praestantissimo, ordinis praedicatorum magistro, una cum Petri Britaniae ducis legatis, qui per id temporis Romae erant, ob id ipsum paucis ante mensibus missi, eis quae sua esset sententia apperuit; fore enim ut ante Julium mensem, perfectâ re, cujus gratiâ Romam por tot discrimina rerum advenerant; voti compotes in Britaniam reverterentur: ejusmodi quidem B. Vincentii inter Christi Sanctos relationem

(*a*) Hujus S. Vincentii vaticinii in Calixti III ad sedem Petri promotione adimpleti, quotquot de vitis pontificum scripsere meminerunt. Magno tamen in ejus rei confirmationem argumento est praesens Ransahi testimonium, qui eâ aetate Romae versabatur, et Martiali Auribellio Mag. Gener. O. P., cui postea pontifex rem eandem apperuit, valdè familiaris erat.

non aut Nicolao, aut caeteris romanis pontificibus, sed sibi fuisse Dei providentissimo consilio servatam. Haec atque alia ubi in eam rem dixit pontifex, jussit eis tandem, ut adhibitè darent operam, quo ea quae erant rei solemnitati necessaria compararentur. Martialis, ac legati, obortis prae gaudii magnitudine lachrymis, novello pontifici gratias egerunt. Indè mox abeuntes curavere, ut quod ille jusserat, haud cunctanter efficerent. Ipse pontifex paucis post diebus frequenti senatu decrevit, ut ad tertium kalendas quintilis ea solemnitas celebraretur.

Postulare locus hic videtur, ut de hujuscemodi B. Vincentii inter Christi sanctos relatione (quam vulgo canonizationem appellant) aliquid memoretur. De qua commodius dixero, si prius de integrâ vitâ, deque piâ ejus morte, quaedam relatu digna demonstravero. Ea delegi ego ex tam multis illis, quae accuratè perscripsi in opere illo quatuor libris distincto, quod hoc anno, et Martialis Auribelli hortatu, et Calixti pontificis jussu de illius vitâ composui (*a*).

Fuit is Valentiae, quae urbs in ulteriore Hispania est, ex Ferreriorum familiâ honestis parentibus natus. Qui quantus, qualisque esset futurus, hoc potissimum indicio monstratum est. Cùm ejus mater esset gravis, uterusque illius intumescere cepisset, ter eodem mense, interjectis tamen diebus, emitti utero suo veluti latrantis canis voces audivit. Insuetae illa rei novitate deterritâ; ad Valentinae ecclesiae Antistitem se conferens, ex eo quaesivit quidnam sibi latratus ejusmodi vellet. Respondit ille nil aliud id significare, nisi quod paritura esse filium, qui suâ aetate

(*a*) Ex hoc loco satis constat anno 1463 quo Ransanus haec scribebat, nondum quintum librum prioribus quatuor de vitâ S. Vincentii addidisse, quem tamen libro III. num. 6. promisserat (V. monitum his opusculis praefixum).

te esset futurus divini verbi praedicator, non solum multarum rerum scientiâ eminentissimus, sed vitae quoque integritate, mirâque sanctitate clarissimus. Natus deindè infans, ac Vincentius divino quodam praesagio vocatus, ubi attigit aetatem, quâ ad litteras, atque ad mores idoneus est visus, incredibile dictu est, quam brevi clarus evaserit, et liberalium artium, divinarumque rerum peritiâ, et emendatorum morum mirâ elegantiâ. Praeter cetera autem illud quam diligentissimè observabat, quod nullam admittebat improborum hominum consuetudinem. Eos verò, quos animadvertebat virtute praeditos, veluti vitae suae magistros imitabatur. Coelesti deinde rore perfusus, duodevigessimum agens annum, elegit, ac cepit vivere, sub regulâ, atque institutis ordinis praedicatorum, non planè sine maximo gaudio, summâque laetitia omnium patrum, qui erant illius ordinis, eâ de causâ, quod nomen tanti juvenis erat apud valentinos cives celeberrimum. Quippe arbitrati, quod erat, sunt, ipsum ordinem virtute, et probitate tam insignis juvenis non mediocriter exornandum. Postea quàm ejus ordinis habitu est indutus, legere in primis studuit B. Dominici gesta, eo consilio, ut illa potissimum intelligeret, in quibus esset suum ducem imitaturus. Illius igitur exemplo inter cetera dedit operam lectioni scripturarum divinarum, theologicaeque facultati, ut his munitus armis posset opportuno tempore evangelium Christi per orbem longè, latèque diffundere. Profectus postea Ilerdam, in qua urbe per illud tempus florebant publica liberalium disciplinarum, et in primis theologiae, studia; adeo intra paucos annos doctus evassit, ut agens octavum et vigessimum annum philosophorum, atque theologorum omnium praestantissimus haberetur. Eamque ob rem theologorum, qui Ilerdae agebant, universitas uno omnium miro consensu eorum collegio ipsum

adscivit, traditis ei insignibus, quibus donari nostrorum temporum theologi solent. Commoti mox Valentini cùm doctrinae, quâ pollebant, tùm verò maximè virtutum, quibus erat eximiè praeditus, celeberrimâ famâ, eum Valentiam acciverunt, publicoque affecerunt salario, quo in Valentinâ ecclesiâ philosophiam, et theologiam publicè legeret (*a*). Quod cùm factum esset, multi undique Valentiam se contulere, ut à tanto doctore instituerentur. Per id temporis venit Valentiam Benedictus Luna, qui in Hispaniis, atque in Galliis pro pontifice maximo habebatur (*b*). Unus enim erat è tribus illis pontificibus, quos christiana ecclesia in tres divisa factiones sibi praefecerat, uti supra demonstratum est. Is, supra quam cuiquam credibile est, Vincentii virtutibus illectus, voluit ut esset et suarum confessionum auditor, et palatii magister. Est enim id munus, quod romani pontifices iis, qui, ordinis sunt praedicatorum demandare solent. Adegitque eum in id, ut duos annos suam curiam fuerit secutus. Per quod tempus cum pontifex eum nonnullarum ecclesiarum, valentinae praesertim, episcopatus, cardinalatus quoque dignitate donare decerneret, nichil tale voluit unquam admittere. Fecit id, non solùm quod se episcopatu, atque cardinalatu indignum existimabat; verum etiam quòd longè majora, longèque utiliora jam pridem sese facturum instituerat. Quae ut maturaret, Christus ei tandem per-

(*a*) Theologiae tantum docendae S. Vincentium Valentinâ in ecclesiâ insudasse, Ransanus ipse scribit, et rectè (lib. 1. cap. 2. vitae S. Vincent.). In eâ quippe ecclesiâ theologiae, non philosophiae, cathedram erexerat Raymundus de Gaston Valentinus episcopus

die 30 Martii anni 1345, quam scilicet Divus ille rexit ab anno 1385 ad 1390.

(*b*) Seu potius postea habitus fuit ab anno scilicet 1394. Quando autem Valentiam venit, cardinalis legati munere fungebatur.

suasit. Cum enim in urbe Avinione incidisset in adversam valetudinem, quâ vehementissimâ vi febris vexatus est, tertio ab eâ valitudine die visus est ei Christus, qui ei alloquens, post multa ultro citroque dicta ei jussit, ut nihilo plus in pontificis curiâ moraretur, sed inde abiens diversas orbis provincias peragraret, praedicaretque populis, quae Petrus, quae Paulus, quae ceteri apostoli, atque alii christiani theologi, sanctique viri olim praedicaverant. Praeter cetera tamen nuntiaret futuri illius judicii diem, quod expectandum proponit christiana religio, esse nostris temporibus admodum propinquum. Haec atque alia, quibus eum mirum in modum incendit, atque consolatus est, postea quam dixit Dominus Jesus Christus discessit. Vincentius quam primùm è stratis se perinde corripuit, ac si nullo unquam morbo fuisset affectus. Futurae mox se peregrinationi, atque labori accingens, pontificem adiit eumque ordine, quae Christus juserat edocuit, ac simul petiit ab eo veniam, quo demandatum sibi à Christo legationis munus exequeretur. Quâ impetratâ, se itineri commisit. Atque ita praedicare, nuntiareque nationibus quaecumque eum Christus docuerat, quaeve Spiritus Sanctus ei dictabat, atque subgerebat, coepit. Nulla in Hispaniis, nullaque in Galliis regio pene fuit, ad quam non sed docendorum hominum gratiâ contulerit. Venit et in Galliam Cisalpinam, petivitque Genuam, eo consilio ut totam lustraret Italiam. Quod fecisset profectò, nisi nuntius cum litteris à Joanne Hispaniae rege (a) missus ipsum ob causam maximè necessariam in Hispaniam revocasset.

Post adeptum ibi ob multorum populorum salutem

(a) Joanne scilicet Castellae, Legionisque rege hujus nominis II (non I. ut in act. SS. in not. ad cap. 2. lib. II. vitae S. Vincent. à Ransano descriptae) qui anno 1407 regni habenas suscepit.

maximum fructum, decrevit et ad insulas quoque proficisci. Navigavit igitur Majoricam, atque Minoricam, quas Insulas Baleares veteres appellabant. Affirmant nonnulli eum et in Sardiniam trajecisse. Mahoma (*a*) item Granatae rex, licet seracenus esset, acceptâ famâ tam eximiae sanctitatis ejus, missis legatis eum praecatus est uti non gravaretur ad regnum ejus proficisci: percupere quidem sese christianam doctrinam audire ipsum praedicantem, quamvis Mahomettea lege id fieri prohibeatur. Cùmque Vincentius habitâ fide publicâ Granatam fuisset ingressus, coepissetque de christianae pietatis mysteriis, deque Christi cultu, ac denique de Mahomettea impietate multa docere, quae multorum animos ad Christi cultum suscipiendum incredibiliter incenderant; nonnulli id permolestè tulere, regique comminati sunt regni ammissionem subsecuturam, nisi christianus praedicator Granatâ totâ excederet. Itaque ad docendos christianos Vincentius mutato consilio rediit.

In hujusce modi autem, tum peragrandi orbem, tum praedicandi exercitiis, in quibus quadraginta annos consumpsit vitae suae, hic modo fuit: Nocturnae quieti quinque solum horas tribuebat: reliquam noctis partem aut piis precibus, aut divinarum scripturarum lectione occupabat. Quotidie, postea quam rem peragebat divinam, populis ubicumque eum esse contingeret, praedicabat. Vini saporem, quotiens bibebat, multae aquae mixtione adeo corrumpebat, ut non vinum, sed aquam potius bibere videretur. Carnibus perquam rarò, piscibus frequentius vesci solebat; quos tamen non multo studio, sed prout religiosi viri statum decebat, parari sibi volebat. Duos et quadraginta annos quotidie, praeter dominicos dies, prout moris est christianorum, jejunia ser-

(*a*) Nempe *Abenhalila Mahoma*, filius *Joseph* regis, mortuus ann. 1408.

vavit. Veneris tamen quoque die eum sui jejunii ordinem ab adolescentiâ sine ullâ intermissione servavit, ut panem solum cum aquae potu comederet. Numquam nisi tunicâ indutus, et supra aut sarmentorum, aut feni, aut hujuscemodi aliarum rerum stramine, aut etiam vili sacco modicè lanae pleno dormivit. Si quando verò apud viros nobili loco natos diversaretur, splendidèque ei stratum pararetur, plerumque humi potius, quam in lecto ipso quiescebat. Veneris praeterea quoque die quibusdam fasciculis ad hoc ipsum per artem dispositis corpus proprium caedebat. Quotiens missam celebrabat, ante corporis sanguinisque dominici sumptionem quam uberrimè lachrymabatur. Tantae mansuetudinis fuit, ut nemo eum unquam, nisi adversus vitia, iratum viderit. Erat in vitiorum reprehensione terribilis, in suscipiendis ad se venientibus humanus, et humilis, in exhortandis ad bene vivendum peccatoribus alacer, in corripendis severus. In tolerandis laboribus erat in eo magna, et pene supra humanas vires patientia. Tanta ejus fuit apud principes omnes auctoritas, ut propter res arduas, et interdum propter regna illis disceptantibus, nihilo plus sit factum, quàm quod ipse judicaverit. Fructus doctrinae suae tantus fuit, ut ex christianis hominibus, qui obstinati, atque perditi in omni sceleris genere erant, supra centum millia ad publicam poenitentiam, atque ad benè vivendum converterit.

Adversus judaeorum obstinatam pertinaciam acutus, copiosus, atque acerrimus disputator fuit; eisque adeo dilucidè sacrarum scripturarum enigmata reserabat, ut in diversis Hispaniarum locis supra quinque et viginti milia ex eis baptizaverit. Ex saracenis quoque quorum in Hispaniâ magna est copia, multos ad Christi cultum pertraxit; omnium tamen numerus octo fermè millium fuisse fertur. Nulla civitas, nullusque fuit locus, ubi homines

comperit capitalibus flagrare discordiis, à quibus prius discesserit, quàm pacatos eos, incredibiliterque concordes reliquerit.

Haec omnia, aliaque similia permulta, quae longissimum esset commemorare, facere absque multa miraculorum claritate prorsus non potuisset. Claruit itaque eo linguae dono, quo nonnulli putant Apostolos olim claruisse; hoc est, quod solâ valentinorum linguâ loquens, dum populos docebat, ab Hispanis, à Britanis, à Gallis, à Germanis, ab Italis singulis non minus intelligebatur, quàm si natus in singulorum, qui eum audiebant, patriâ fuisset. Fuerunt ab eo mortui ad vitam revocati: caeci, muti, surdi, claudi, paralitici, caeterique imbecilles ac debiles, et omni morborum genere laborantes in nomine Jesu Christi redditi ab eo incolumes sunt, atque integritati sensuum, perfectaeque sanitati restituti. De quinque et triginta hominum corporibus inquinatos spiritus, à quibus corpora ipsa erant obsessa, signo crucis exclussit. Prophaetico spiritu, cùm multa futura, tùm verò divi Bernardini praedicationem, sanctitatisque claritatem, praedixit. Post annos octo et septuaginta, duos in Britaniâ, quam minorem vocant, commoratus est (*a*). Et licet esset

(*a*) Ransanus in vita S. Vincentii (*Lib. IV. cap. 1.*) eum septuagesimo secundo aetatis anno obiisse affirmat. Quo in loco qui *acta SS.* edidere librarios accusant quod *septuagesimum* scripserint, cum potius *sexagesimum* dicere debuissent. Nos verò censemus, siquidem hic error sit, augendum potiùs quàm minuendum esse numerum, ut sarta tectaque Ransani sententia sit. Ille enim in hoc excerpto ex suimet annalibus octoginta annos D. Vincentio concedit. Nullus enim hujus loci lectionem non sic ordinavit, ut sensus sit post annos octo et septuaginta, duos praeterea in Britaniâ minori commoratum, eisque expletis extremum diem obiisse. Huic deinde sententiae concordat carmen inferius proferendum,

aetate confectus, adeoque esset corpus ejus ob jejunia, vigilias, ceterosque labores, quos in docendis populis continuè subibat, extenuatum, ut absque baculi sustentamento gradi vix posset; semper tamen in solitis, praedicandi praesertim, exercitiis pertinacissimo studio versatus est. Erat britonibus omnibus gratus, et percarus; ideoque minum eum in modum amabant omnes, colebant, observabant, admirabantur. Omnium orphanorum, viduarum, pauperum, atque imbecillium director, patronus, adjutor, ac pater, et habebatur, et erat.

Erat per id temporis britonum dux Joannes, vir multis cùm corporis, tùm verò animi virtutibus insignis. Is praeter ceteros mortales Vincentium incredibiliter diligebat, atque venerabatur. Hujus amoris, ac venerationis cùm multae essent causae, eum potissimum incendit quod miraculum quoddam à Vincentio Dei virtute factum vidit, per quod fuit non immeritò in suum stuporem adductus. Cùm enim ante illius in Britaniam adventum, nullos ex uxore filios suscepisset, saepe et multum angebatur, quotiens animo volutabat ex se genitum esse neminem, qui post ejus mortem imperio per tam longam majorum

cujus in versu 104 sic cecinit Ransanus:

.....Nonne octoginta per annos
Id meruit vitae perfectus, et
integer ordo?

Litis hujus à nullo hucusque scriptore finitae judices sedere nolumus. Id solum agimus, injuriâ Ransano adscribi eam opinionem, quae B. Vincentium ponit annum vitae sexagesimum secundum non excesisse. Ejus tamen computandi ratio eò adducit, ut S. Vincentii natalis dies anno 1340 plus minus adscribatur; ipsiusque in ord. praedicatorum ingressus ann. 1357, quo nempe dies 5 Februarii, S. Agathae sacra in dominicam incidit. Quam chronologiam Marieta, et Antistius tenuerunt.

Quamquam et si quis velit priorem Ransani lectionem ex vitâ S. Vincentii *loc. laud.* sustinere, ubi eum septuagenario paulo majorem dixit; ei libenter acquiescemus, nedum

successionem accepto succederet. Ceterum cùm Vincentius, Joanne ipso petente, conjugis ejus uterum cruce signasset, interque signandum praediceret illam concepturam, parituramque filium, qui patre mortuo esset et britannibus imperaturus, et operam daturus, ut se quoque mortuo inter Christi sanctos à romanâ ecclesiâ referretur; nec multis interjectis diebus videret conjugem (prout ille praedixerat) gravatam jam esse, nonoque deinde mense filium peperisse, Vincentium mirè, et supra quam cuiquam est credibile veneratus est. Atque ita quidquid ob imbecillium, egenorumque omnium auxilium, atque levamen ab eo Vincentius petebat, quàm facile impetrabat.

Secundo autem anno post ejus in Britanniam adventum, dum in urbe Veneto ageret, persuasus à nonnullis ex eis, qui eum comitati ex Hispaniâ fuerant, quibusque taedio erat peregrinatio longior, Valentinam redire instituit. Cùm itaque de secundâ noctis vigiliâ se itineri commisisset, existimassetque se per reliquam noctis partem multum viae confecisse, quam primum tamen illuxit, non plus quingentis passibus se ab urbis portâ abesse animadvertit. Quae res, cùm et ipsum, et suos comites in sum-

non improbabimus. Nullâ enim emendatione locus ille indiget, quod tamen editores act. SS. tentavere. Anno quippe 1412 Benedictum XIII alloquens Vincentius epistolâ datâ Alcannizii 27 Julii, seipsum senem dicit, *annos aetatis* agentem *plusquam LX*, atque à visione Avenionensi elapsos jam tunc fuisse plusquam quindecim annos. Ex quo id efficitur eam visionem habitam anno 1396, vel circa, aetatis suae circiter 46, natum proinde fuisse anno 1350. Rursus si anno 1412 septem illi qui efluxerunt ad emortualem ipsius 1419 adjiciantur, efficietur ultimus vitae annus septuagesimus, vel circiter. Scimus utramque Ransani chronologiam parum inter se convenire; nobis tamen, quod propositum erat, variam ipsius lectionem exposuisse sufficiat.

mam admirationem adduxisset (neque enim per viarum anfractus, sed per rectam viam iter fecerant) ipse id factum intentissimâ curâ secum iterum atque iterum volutans, redeamus, tandem inquit, fratres mei, in urbem. Nihil enim aliud sibi quod nobis accidit vult (quantum ego assequi conjecturâ possum) nisi Deum nolle ut ad patriam ipse revertar. Hic itaque locus est, ubi non multis interjectis diebus sum ab hac mortali vitâ discessurus. Haec ubi dixit, urbem versus se unà cum comitibus confert. Fuit ejus redditus à duce ipso, atque ab ejus conjuge, et à civibus omnibus Venetensibus magnâ laetitiâ, magnoque applausu concelebratus. Ceterum sexto ab ejusmodi applausu die, gravis eum febris invasit. Per quos autem dies morbi vi magnâ est affectus, mirum omnibus exemplum praebuit patientiae. Susceptis tandem ecclesiasticis mirâ religione sacramentis, cunctisque ad eum visendum concurrentibus ad benè pieque vivendum cohortatis, praedicto praeterea à se mortis suae tempore, petivit à sacerdotibus, qui aderant, legi sibi letanias, passionemque Domini Jesu Christi secundum Joannem. Quibus lectis, ingentem vultu ostendens laetitiam, substulit ad coelos oculos, manusque junctas cum voce tetendit; atque *in manus tuas*, inquiens, *Domine, commendo spiritum meum*, excessit è vitâ anno ab ortu Jesu Christi decimonono supra millessimum, et quadrigentesimum (*a*). Atque ita videor jam absolvisse quae de ipsius vitâ commemoranda erant. De relatione ejusdem inter Christi

(*a*) Auctor in vitâ S. Vincentii (*lib. IV. cap. 2.*) stylo veteri Gallorum et Britonum servato, qui annum à Paschate inchoabant, S. Vincentium obiisse ait anno 1418 nonis scilicet Aprilis, quae ante Dominicam Palmarum eo anno occurrerunt. Proinde annum illi 1419 nondum inchoaverant. Stylum hic novum servat.

sanctos, quemadmodum constituta, factaque sit, dicendum deinceps est.

Quo tempore diem Vincentius obiit, Martinus quintus pont. max. Rom. regebat ecclesiam. Ad hunc omnes penè principes, qui in Galliis, atque in Hispaniis imperia per illud tempus tenebant, quaedam preaterea florentissimae civitates, et litteras, et oratores miserunt postulantes, ut tantus vir, qui quasi unus ex priscis Christi apostolis hoc saeculo visus, ac judicatus est, sanctorum catalogo ascriberetur. Omnium tamen diligentissimus fuit Joannes Britonum dux, cujus paulo ante facta fuit mentio, quique magnam mirorum Vincentii operum partem, et in vitâ, et post mortem viderat. Pontifex, cui viri sanctitas erat jam longè notissima, dignum duxit uti fieret quod efflagitabatur. Dumque statuit, ac parat quae necessaria usui erant, quo res efficeretur, alia negotia occurrerunt, quibus vacare intentissimâ curâ pontificem opportuit, atque ita in aliud tempus, quod videretur opportunius, res ipsa dilatata est. Accessit quod ordinis praedicatorum patres, quibus ea res curae esse debebat, animo ob negotii gravitatem fracti, omnia neglexerunt. Quo factum est ut, et principes, atque civitates, quae petebant, et pontifex, qui non invitus petentibus annuebat, ab ineeptis destiterint. Martino mortuo, Eugenius, qui ei successit (*a*), commotus iisdem de causis, quibus Martinum fuisse commotum modo memoravi, instituit velle se prorsus adimplere, quod fieri ante nequiverat. Ceterum evenit, ut multi, formidabilesque bellorum motus in totâ penè Italiâ orti, romanam ecclesiam gravibus incommodis adeo presserint, ut non tantum patres, sed ipse quoque ponti-

(*a*) Anno videlicet 1431, 5 nonas Martii, qui et creatus fuerat cardinalis à Gregorio XII anno 1408, undecim scilicet ante D. Vincentii obitum annis.

sex Româ excesserit, fugâque salutem sibi quaesierit (*a*). Quare illud quoque evenire necesse fuit, ut neque pontifex, neque ordinis praedicatorum patres, neque civitates, ac principes, qui eam rem mirè affectaverant, quippiam, quo negotii principium fieret, tractare potuerint. Ad haec mors Joannis, Britaniae ducis (*b*), cui praeter ceteros mortales cordi id negotium erat, accessit. Per sexdecim itaque annos, per quos Eugenius romanae ecclesiae praefuit, ejuscemodi rei tantum mentio, quam modo dicebam, facta est. Eugenio successit Nicolaus quintus (*c*). Hujus pontificatus anno tertio Alphonsus Aragonum rex, ac Petrus Britonum dux, multique alii Europae principes patrum ordinis praedicatorum animos adeo incenderunt, ut decreverint Romae conventum agere (generale capitulum vulgò illi dicunt) eo consilio, ut praeter cetera de eo negotio tractaretur (*d*). Id cum esset factum, Guido Flammochetus, qui in conventu ipso omnium patrum suffragio summus ordinis praedicatorum magister fuit electus, pontificem adiit, nomineque ordinis praedicatorum postulavit, ut finis tandem fieret negotii, cujus non semel in romanâ curiâ facta fuerat antea mentio. Pontifex, cui non ignota erant Vincentii merita, facilè persuasus est; atque ita jussit, ut Guido una cum sui ordinis patribus, quod suum esset, efficeret, adhiberetque diligentiam, ut quae tempore ad id idoneo fuerint necessaria, comparentur. Decrevit igitur Guido, ut tribus interjectis annis patrum conventus (hoc est, generale, ut dicunt, capitu-

(*a*) Romanorum hic dissidia turbasque tangit armis Columnensium illatas ab ipso pontificatus Eugenii exordio, quas apud quoscumque *de vitis pontificum* scriptores descriptas require.

(*b*) Anno 1443 28 die Augusti.

(*c*) Anno 1447 pridie nonas Martii.

(*d*) Capitulum istud generale Romae habuerunt FF. ord. praed. die XIII Junii anni 1451.

lum) ageretur Naneti, quae urbs est in minori Britaniâ, eo consilio, ut convenire ibi possent Petrum ducem, qui Joanni patri successerat, propterea quod sperabant illum nihil omissurum, quo tandem perficeretur negotium, quòd constabat ipsum ab ineunte aetate incredibiliter affectasse. Ceterum paucis post mensibus Guido Neapoli moritur. Nec tamen praetermissum à patribus est quin generale capitulum, uti fuerat decretum, Naneti celebraretur (a). Ibi uno omnium consensu electus est magister ordinis praedicatorum Martialis Auribellius, Avinionensis, theologus suâ aetate insignis. Is, ut erat magno animo, et singulari prudentiâ, nihil sibi diffidens, ducem convenit, et post multos sermones ultrò citròque habitos, adeo persuasit, ut omissis ille ceteris negotiis, solum de Vincentii re ceperit cogitare.

Dat in primis operam ut mittat legatos ad rom. curiam, per quos id cum pontifice ageretur, ut res, quae fuerat non tantum semel, sed iterum, et tertio proposita tandem perficeretur. Dum haec aguntur in Britaniâ, Martialis ad diversas Galliarum, Hispaniarum, Germaniae, Italiae partes mirâ celeritate profectus effecit, ut plures alii principes, et ecclesiarum Antistites, multae praeterea florentissimae civitates, vel per litteras, vel per nuntios id ipsum efflagitarent. Ita relatâ re ad concilium, decretum est, ut mitterentur à romanâ curiâ perplures, qui diligenter (uti fieri in tantâ rerum mole solet) investigarent qualis vita, qualia opera Vincentii fuerint, litterisque mandarent omnia, ut, omnibus ad perfectum libratis, finis tandem tantae rei imponeretur. Missi sunt hujuscemodi rerum perscrutatores, qui duos annos in talibus negotiis consumpserunt, ad singula fere loca, in quibus vivens Vincentius

(a) Seu potius Nannetis, quae urbs est in Armoricâ; celebratum ibi capitulum fuit die XX Maii 1453.

fuerat versatus. In numero testium, quos constat fuisse supra mille et ducentos, fuerunt Joannes S. Sixti, Georgius SS. Coronatorum, Joannes S. Angeli cardinales, Alphonsus Aragonum rex, qui in hoc pium opus octingentos contulit aureos, Petrus Britaniae dux, à quo duo millia nummum in idem opus collata sunt, episcopi sex, abbates undecim, theologiae professores quatuordecim, pontificii, et civilis juris consulti quindecim, sacerdotes, tum saeculares, tum diversorum ordinum regulares centum sexaginta septem, viri equestris ordinis, et alii ex saeculari nobilitate praeclari homines ducenti et tresdecim. Qui omnes de vitae ejus magnâ integritate, et sanctitate, de excellentissimâ doctrinâ, quâ enituit, de varietate multitudineque miraculorum, quibus claruit, de fervore, et eloquentiâ, quâ uti solebat in docendo, denique de fructu, quem consecuti sunt populi, qui ipsum concionantem et viderant, et audierant, satis clara perhibuerunt testimonia. Dum harum rerum perscrutationi daretur opera, Martialis ferè infinitos suscepit labores, curans ne quo modo ab incepto desisteretur. Et cùm multa evenerint saepè, quae rei nostrae maximo fuerunt impedimento, numquam tamen est visus exterritus. Magno semper animo omnia toleravit. Omnibus, quae in rem erant, providit. Cuncta, quae adversari potuerunt, exclussit. Denique nihil unquam praetermissit, quod visum sit tam arduo negotio conducere. Id et ego, qui fui aliquando suorum laborum comes, et ceteri, quibus ipse familiariter utebatur, facilè animadverterunt. Perscrutatis omnibus, primisque legatis revocatis, alii à duce Britaniae missi Romam sunt, qui nihil aliud curarent, quàm ut caeptis modus daretur. Ceterùm eis advenientibus, pontifex in adversam valitudinem incidit, quâ interjecto quatuor mensium intervallo è vita discessit. Quam ob rem tùm legatorum, tùm Martialis animus ita est

labefactus, ut nemo eorum fuerit, qui non omnino absolvendi negotii spem omnem amisserit. Verùm paulò accuratius rem eis considerantibus visa prudentissimo Dei consilio facta fuisse pontificiae dignitatis tam insperata mutatio. Nam neque Nicolaus, neque alii, qui ante ipsum praefuerant romanae ecclesiae, fuerat Vincentium nostrum inter sanctos relaturus. Illi erat ea res demandanda, quem Deus ad ipsam, antequam mundus conderetur, elegerat, cuique Vincentius ipse vivens prophetico spiritu fuerat multo ante vaticinatus, quemadmodum supra demonstratum est. Quartodecimo (*a*) itaque die ex quo Nicolaus mortem obiverat, Alphonsus Borgius ad apostolatum evectus, Calixtusque tertius appellatus, adimplere decrevit quod de eo jam pridem Vincentius, Deo inspirante, cecinerat.

Sed non censui praetereundum silentio quaedam quae relatu digna per eos dies ad Vincentii gloriam obtigerant. Cùm paratus jam omnibus pontifex è locis interioribus domus egressurus, comitante patrum omnium ordine, ad publicum consessum de more expectaretur, Andraeas cognomento de Sanctâ Cruce, vir romanus nobilis jure consultus, qui eo in loco erat in Vincentii laudem orationem habiturus, syncopi repente correptus in terram semianimis concidit. Fit illico strepitus: exoritur clamor: concurrunt universi qui aderant, partim ut ferant opem, partim ut rei exitum videant. Et quia vix palpitare videbatur, desperatâ salute, jam jam ipsum moriturum cuncti arbitrabantur. Scinditur mox incertum studia in contraria vulgus. Erant qui dicerent id Dei judicio factum, qui nequaquam pati suâ summâ justitiâ voluit ut referretur inter sanctos vir, qui non videretur tantâ gloriâ dignus. Pleri-

(*a*) Decimoquinto legimus haec Calixti III electio VI id. in Ciaconio; contigit autem Aprilis 1455.

que, in quorum numero ipse fui, arbitrati sunt eò fuisse id Dei benignitate permissum, ut ostenderetur specioso aliquo miraculo quàm magna Vincentii merita fuerint. In tantâ rerum perturbatione legati ducis Britaniae, et Martialis ipse, et complures, qui aderamus, lachrymas continere nequivimus. Inter haec egresso pontifice ex intimâ aulâ, caeperunt patres ordine procedere. Ego, et ceteri fratres ordinis praedicatorum, qui aderant, legati praeterea britones, ne quo afficerentur dedecore, cum nihil humanae opis speraremus, dum procederent ad consessum patres, Dei auxilium intentissimis mentibus imploravimus, nosque B. Vincentii meritis commendavimus, eum precantes, ut quando sua res agebatur, suo honori, suae laudi, suae gloriae ipse consuleret. Sic nobis eum gemitu lachrymisque precantibus, non defuit divina benignitas. Namque non prius se pontifex in ornatissimâ, atque eminentissimâ illâ sede constituit, quàm Andraeas, qui mortuus, aut saltem non multo post moriturus putabatur, se statim è terrâ corripuit; et quos ob talem eventum animadvertit esse tristes consolans, bono animo esse jussit. Mox caepit orare, et quae in B. Vincentii laudes erat dicturus adeo luculenter, et copiosè, ac tam miro ordine explicavit, ut cum persaepè alias eodem in loco verba fecerit, numquam tamen judicatus est dixisse vel prolixius, vel praestantius. Octavo deinde ab hujus publici consistorii die, accersitis universis centum septuaginta sex episcopis, qui Romae per id temporis commorabantur, pontifex Vincentii rem tot annos agitatam posuit in consultatione. Postea autem quàm audivit quaenam esset sententia singulorum, prolixam ipse habuit orationem, quâ omnem Vincentii vitam, miraque opera, non solum quae audiverat, sed etiam quae ipse viderat, locupletissimè recensuit; conclusitque tandem, nihil obstare, quin sanctorum cathalogo connumeraretur,

Atque ita diem, quem antea dixi, tanto spectaculo constituit, quo die celebrari toto orbe consuevit solemnitas apostolorum Petri, et Pauli. Quo autem die actus est Patrum, quem modo dixi, conventus, placuit Deo ostendere non inani consilio pontificem in B. Vincentii gloriam quae jam narravi decrevisse. Nuncius namque à minori Britaniâ Romam missus in ipso patrum concilio se ad pontificem contulit, eique litteras dedit, per quas Venetensis civitas significabat sacrosanctae romanae ecclesiae factum esse apud eos die vigessimo proximi mensis Aprilis hoc miraculum. Muller quaedam Margarita nomine, quae novem menses visum penitus amiserat, B. se Vincentio commendavit, vovitque se illius sepulchrum visitare. Ad locum igitur perducta, cum circiter sex horas Deum rogasset, ut meritis Vincentii, cujus imploraverat auxilium, visus sibi restitueretur, tandem quod piè petiverat consecuta est. Patefactis namque oculis, atque illico se erigens, eos ostendit mulieribus, quae ipsam caecam perduxerant. Egerunt primùm omnes gratias Deo, et B. Vincentio; mox convocatis ecclesiae sacerdotibus, rem eis ominem ordine aperuerunt. Illi in hymnis, et canticis diem totam consumpserunt. Re autem per urbem vulgatâ, ad tantum spectaculum supra octo hominum millia ad locum concurrerunt; remque omnes admirantes, illi praecipuè qui Margaritam ipsam caecam antea viderant, Deo, et ipsi egerunt gratias, B. verò Vincentii sepulchrum cùm ipsi, tùm alii quàm plurimi multos dies incredibili pietate frequentavere. Acceptis perlectisque litteris, quibus tantum miraculum significabatur, eo, inquit pontifex, consilio placuit rerum omnium auctori Deo, ut hae litterae hac potissimùm horâ nobis redderentur, ut verum omnino comprobaretur fuisse, quod de Vincentio nos frequente senatu narravimus. Quod igitur jam pridem

mihi satis persuasi, nunc habeo maximè compertum. Nihil fallemur, si tantum virum catalogo sanctorum ascripserimus. His dictis senatus solutus est. Ubi deinde affuit constituta, expectataque dies, nihil est omissum, quod ad rei ornatum, atque ad solemnitatis decorem pertineret. Concurrerunt eâ de causâ ad urbem ex regionibus finitimis quadrigenti ferme ordinis praedicatorum fratres. Qui unà cum Martiale, britonibusque legatis hymnos per urbem decantantes, subsequente magnâ promiscui sexus multitudine, ad Sancti Petri Apostoli templum, quod est situm in vaticano, pulchro agmine processerunt. Res divina à pontifice acta est in templi medio, ubi constitutus erat locus latus, atque praeeminens pro more ad patrum omnium consessum idoneus. Pendebant undique ex templi culmine lumina pene innumerabilia. In parietibus autem altè ardebant undique cereae faces, quarum numerus duorum fermè millium fuit. Eratque luminum omnium talis tantusque decor, ut quaedam stellati, micantisque coeli facies videretur. Decorabant quoque non parum solemnitatem tum Alphonsi regis, tum Petri ducis Britaniae praeclara insignia, quae ante agmen fratrum praedicatorum per urbem deferebantur. Eis enim designabatur tantorum principum sumptibus maximâ ex parte talem rerum fieri apparatum. Alia praeterea facta eo die sunt, quae solemnitatem in primis decuere. Omissa tamen ea facio, ne versari videar in re cognitu parum necessaria. Ceterum non existimavi praetermittenda tria illa miracula, quibus B. Vincentii majoris gloriae cumulus adiectus est. Matronae cuidam Romanae erat filius annos natus fermè quatuordecim, qui annos quinque passus fuerat adeo graviter morbum, quem nostri comitialem, graeci epilepsiam dicunt, ut in terram non minus duodecim vicibus caderet à sensibus omnibus alienatus singulis diebus.

Haec, ubi vidit novam hanc celebrari in urbe solemnitatem, se ac filium commendavit B. Vincentio in haec verba: si non immeritò dignus es, ut hodierno die inter ecclesiae sanctos referaris, impetra filio meo sanitatem, quam nulla medicae artis ope consequi unquam potuit. Id si feceris, nunquam deerit, quin annuae tuae solemnitatis die missam quotannis faciam in tuam memoriam celebrari. Exaudita est mulieris tam pia, humilisque precatio. Ex eo enim momento nunquam fuit ulterius ejus filius genere morbi, quem dixi, vexatus. Quo etiam modo alia quaedam matrona, quae annis fermè quatuor passa fluxum sanguinis fuerat, curata est. Duo praeterea adolescentes, quorum alter decem menses quartanam, alter ex perpetuâ febre quinque et viginti dies laboraverat, cum simili voti emissione illico fuerunt integrè valetudini restituti. Alia quaedam narrata mihi sunt miracula, quae eodem die factâ in urbe à nobilibus romanis civilibus affirmata sunt; sed quia perscrutanti mihi nihil constitit certi, nullam de eis mentionem habere volui.

Perfectâ re divinâ, cum eâ et perfectum tandem est negotium, cujus gratia tot annos praedicatorum ordinis patres laboraverant. Atque ita non multis post diebus, aptis pontificis gratiis, legati britones, et Martialis voti compotes Româ excesserunt. Ego verò magno honore à Martiale affectus in Siciliam, cui provinciae me praefecit, reversus sum (*a*). Ibi non solum de vita Vincentii opus,

(*a*) Saepè auctor in hoc opusculo innuit Romae se adfuisse anno 1455. Modo vero ait perfecta S. Vincentii solemni apotheosi *non multis post diebus* Sicilliam petiisse. Proinde, si verum est quod Ransano tribuit Echard (*Bibl. script. O. P.*), nempe in indice XVII *de rebus Hungaricis* affirmare se Romae adfuisse, *cum jussu Nicolai V. à purpurato cardinalium senatu solemniter, et magnifice Joanni Huniadi praesentatum est anno 1456.* si verè, inquam, id Ransanus dixit,

adhortante Martiale, ac jubente, ut ante dixi, pontifice, condidi (a) sed nomen etiam ipsius, ac laudes egregias in praeclaris omnibus ejusdem insulae civitatibus vulgavi quàm diligentissimè.

Hucusque excerptum Ransani ex annalium suorum libro vigessimo; in quo formâ epistolari servatâ, Joannem Pistoriensem, cujus gratiâ illud concinnaverat, persaepè alloquitur, ut verè opus diversum sit, ac pro non iterato habendum, in quo plura testis oculatus narrat. Excerptum porro excipit nova epistola, vel potius prioris continuatio, qua cum mittit carmen, quod in laudem D. Vincentii, instante ipso Pistoriensi cecinerat; cujus quatuor tantum versus priores in actis SS. ex MS. cod. S. Marci Florentiae legere fas est. Nos integrum ex nostro codice damus, quamquam scimus illud Virgilii et Homeri genio longe esse inferius; plura namque continet historica facta, tum et aevi sui poesis statum prodit, ac forte superat. In hunc igitur modum pergit Ransanus.

Gessi quoque morem piae voluntati tuae, mi Joannes optime, qui alias tuis litteris petivisti, ut pleraque ex his

maximâ velut equivocatione laborantem corrigere facillimum erat. Non enim Nicolaus V ultra Martii mensem ann. 1455 vitam produxit. Ex praesenti praeterea loco incredibile prorsus est, virum Româ excedentem labente anno 1455, ut gravissimo provincialis Siciliae oneri faceret satis, eam urbem anno sequenti repetisse. Itaque typographi mendum fuit qui annum 1456 pro 1453, aut alio quovis Nicolai pontificatus anno possuit; nam illius Joann. Huniadi parentationis nec Platina, nec Giacomus meminerat.

(a) In Sicilia nempè vitam S. Vincentii quatuor libris adornavit; quo in opere finem anni 1453 et sequentis initium im-

quae supra solutâ perscripta oratione sunt, carmine etiam à me tibi explicarentur. Dicis autem id te petere eo consilio, ut cùm longè facilius carmen, quàm prosa oratio commendari memoriae soleat, praebebitur tibi causa, ut magis in promptu habeas ea, quae de Beati nostri Vincentii vitâ sunt à te populis pervulganda. His igitur heroicis versibus patronum nostri ordinis alloquor:

Numina, Vincenti, tua poscimus, alme, precantes,
Optima, quem meritò devexit ad ethera, virtus,
Ne gemitus nostros, ne despice vota piorum,
Sed bonus exaudi, et facilis res aspice nostras.
Scimus apud regem, qui totum condidit orbem,
Esse tua, et facta, et merita acceptissima. Nobis
Ergo fave, miseros mortales dirige, qui nunc
Se tibi committunt, qui totâ mente rogantes
Ad te confugiunt, tua sacraque numina poscunt.
Quamvis magna petas, Christum tibi magna daturum
Quis dubitat? Christus nunquid tibi magna negabit,
Qui magnos hostes, qui magna pericla tulisti
Pro Christi cultu, pro religione tuenda?
Christum tu primis, teneris que secutus ab annis,
Magno animo prorsus statuisti spernere cunctas
Corporis illecebras, ac fluxae gaudia vitae.
Nil fuit omissum, flagellis quo corporis à te
Membra domarentur, vel quo tibi spreta foirent
Quae caro, quae mundus, quae demon bella paravit.

pendit, illudque limae, ut par erat, subactum, ac Martiali Rebellio sui ordinis generali magistro inscriptum, capitulo, ut vocant, Difinitorum in Monte Pessulano XVI Maii 1456 coacto approbandum obtulit; quae viri diligentia magnam ipsius pietatem, et erga D. Vincentium devotionem commendat.

Ergo cum tantos ac tales...vicerís hostes,
Pure (a) Deus voluit certo decernere fato,
Ut tibi victori nomen Vincentius esset.
Nondum vigenos aetas tua viderat annos,
Quom de Dominici Christo sacer ordo disavit
Victurum toto sine crimine tempore vitae.
Mox operam sacris doctrinis ritè dedisti,
Cum quibus et placuit genus exercere per omne
Virtutum corpus, mentemque, ac ferre labores
Per quos vita tibi mortalis sanctior esset.
Artibus ergo bonis, clarisque, et rebus honestis
Evadens summus, famâque volante per omnem
Extremam Hesperiam laudum, pater alme, tuarum,
Ut jubar exoriens micuisti solis in orbe,
Atque refulgenti lustrasti lampade terras.
Praeterea Christi divini numinis haustu
Uberibus satiatus aquis, mox voce tonanti
Fudisti in populos longè, latèque fideles
Flumina larga tui ingenii, totamque rigasti
Ecclesiam dulci divini spiritus undâ.
Tu tuba dulcisonans, cujus penè undique tota
Europa, et quotquot maurus tenet Africa gentes
Audivere sonum, simul accepere salutis
Innumeri populi pia quae documenta dedisti.
Audiit ipsa tuas extrema Britania voces;
Audiit atque omnis te Gallia quanta profundo
Cingitur occeano, necnon nostro equore tanto
Circuitu, quanto vallatur montibus altis.
Insuper audivit quantum se Hispania longè
Porrigit, et quantis spatiis se tendit in amplos
Trugiferos campos, mutato nomine, linguâ,

(a) F. jure.

Imperio, ritu, cultu, moribusque locorum,
Praeconem audisti, Balearis et Insula sanctum.
Tu quoque, cui nomen satus Hercule tradidit olim,
Insula, non prorsus caruisti munere tanto,
Quamve colunt populi Ligures, pars illa superbae
Italiae audivit clara te voce docentem,
Mortales homines, quo possent ordine vitae
Omnia pervigili mortalia spernere curâ,
Viribus et totis ad coeli tendere sedes.
Quem non moverunt tua verba ardentia? quem non
Mutarunt penitus, maculis, vitiisque relictis?
Quae tua non hominum tetigit praecordia linguâ?
Quin judaeorum tu millia multa vocasti,
Traxistique piè sacri ad baptismatis undam.
Sic et Agareni populi tua dicta secuta
Millia multa viam verae invenere salutis.
Dicere quis paucis posset quot millia Christi
Cultorum ad summae virtutis munera ferens
Traxeris, abjectis erroribus, atque prioris
Vitae damnatis vitiis, culpisque nefandis?
Praeterea, si quos discordia fecerat hostes,
Seu fuerint urbes, populi, regesque, ducesque;
Pacis amator eos pacasti protinus, atque
Fecisti ut laetis animis, ac mente benignâ,
Extinctis odiis, pia pacis jura tenerent.
Quae documenta dabas rebus, signisque probabas
Mirificis; nam te dono comitante superni
Numinis, haud hominum solum tu corda piasti
A labe, et scelere, et terreno crimine ab omni,
Sed miseris ad te cunctis venientibus aegris
Haud cunctanter opem coelestem saepe tulisti.
Teque jovis stygii diri timuere ministri,
Quos quotiens hominum vexarunt corpora sancto

Imperio, et signo crucis atra ad regna fugasti.
Pupillis, viduis, miseris, et egentibus, atque
Flentibus, ac moestis solatia quando negasti?
Resque erit hoc tempus memoratu digna per omne,
Quod tibi quam mater dederatque Valentia linguâ,
Quom documenta Dei voceque, atque ore referres,
Nulli occulta quidem, sed erant vulgaria cunctis
Gentibus in variis natis regionibus orbis
Quae tibi manabant fecundo è pectore verba.
Quove furore Deus vatum praecordia quondam
Moverat, hoc Christus montem tibi movit eodem,
Ut rerum eventus posses aperire futuros.
Hinc citò venturum Christum, qui judicet orbem
Omnibus ostendis populis; namque Angelus alter
Ille es sublimem quem viderat antè Joannes,
E medio coeli magna cum voce monentem
Ut Deus omnipotens timeatur: jamque propinquat
Expectata diu metuendi judicis hora.
Postquam longa fuit justèque, pièque peracta
Vita tibi, Dominus tibi praemia reddere Christus
Debita constituit. Nonne octogintà per annos (a)
Id meruit vitae perfectus, et integer ordo?
Ergo dum gaudent britones te audire docentem,
Ex nostrâ ad coelos migrasti luce beatus,
Atque inter divos es divus ad astra relatus.
Sic itaque hoc saeclo victo sine fine triumphas.
Quando igitur felix es coeli in sede locatus,
Respice nos, votis nostris assuesce vocari.
Oramus videas gemitus, lachrymasque praecantum,
Qui tibi suppliciter se totâ mente dicarunt.
Praesta (namque potes) malè sanis robora membris;

(a) Vid. supra not. ad pág. 286 seq.

Praesta ne superet nos serpens callidus astu:
Praesta quo magnis vincamus viribus hostes,
Qui nostros turbant animos, qui perdere nostra
Corpora festinant, specie qui saepè bonorum
Illiciunt homines, ut amara in tartara tendant.
Denique fac summo sit nostra accepta tonanti
Vita, nec insidias formidet, et arma malorum.
Ut meritis tanti patroni, ac munere tandem
Admitti ad summas sedes mereamur olympi. Amen.

XIII.

Alphonsi de Borgia, episcopi Valentini convocatio ad synodum proximè celebrandam die 2 Februarii ann. 1432.

EX COD. COLLATION. LITTERAR. &c. ANN. 1482, FOL. 4. IN ARCH. CUR. ARCHIEP. EJUSD. ECCLES.

Franciscus Zabaterii, presbyter, decretorum doctor, reverendissimi in Christo Patris et domini domini Alphonsi, Dei gratiâ episcopi Valentini, in remotis agentis, vicarius in spiritualibus et temporalibus generalis, et ad infrascripta ab eodem domino episcopo habens speciale mandatum: dilectis in Christo universis et singulis ecclesiarum rectoribus, vicariis perpetuis, et presbyteris, ac clericis beneficiatis in civitate et diocesi Valentinâ constitutis, salutem in Domino. Ecce quod praefatus reverendus dominus episcopus, ad memoriam reducendo statuta patrum, in quibus praecipitur, ut semel in anno per episcopos synodalia concilia celebrentur, deliberavit breviter in hac civitate personaliter adhaesse, et die secundâ mensis Februarii proximè instantis in civitate praedictâ sanctam synodum celebrare, ut in illâ subditorum exces-

sus salubriter corrigantur, et deffectus ecclesiarum et aliarum rerum ecclesiasticarum in melius, auxiliante Domino, reformentur. Quapropter vobis universis et singulis serie cum praesenti dicimus, et in virtute sanctae obedientiae districtè praecipiendo mandamus, quatenus die et loco praedictis per vos, vel procuratores vestros coram dicto domino episcopo compareatis, et in celebrationem dictae synodi intersitis, ut inde valeat unà vobiscum, illa quae ad Dei, laudem et gloriam, et bonum statum ecclesiarum, personarum, et rerum ecclesiasticarum videantur expedire, salubriter ordinare. Vos autem rectores dictarum ecclesiarum, vel vestrorum loca tenentes omnes presbyteros et clericos beneficia ecclesiastica infra vestras parrochias obtinentes, ex parte nostrâ citetis, et etiam moneatis, ut ad dictam synodum veniant termino assignato, certificantes vos et illos pro nisi comparueritis et comparuerint, ut praefertur, ubi vos et eos causa rationabilis non excuset, praefatus dominus episcopus procedet ad celebrationem synodi, et alias contra absentes prout juris fuerit et rationis, si non contingat aliquos procuratores mittere ad praedicta illis plenariam conferant potestatem faciendi, tractandi, concedendi, expediendi et consentiendi in omnibus eis et singulis, quae alii facient, tractabunt, concedent, et consentient in praedictis. Dum verò qua praesens vobis fuerit littera praesentata in quodam quaterno papirii, quae lator praesentis secum portat, manu propriâ reservatis, et praesentem reddite pertitori. Dattis Valentiae undecima die Januarii, anno à Nativitate Domini millessimo, quadringentesimo, tricesimo secundo.

XIV.

Carta de Jayme Rosse ll, abogado de Valencia, á los jurados de Xátiva, en que les da cuenta é instruye sobre el ceremonial con que deben recibir al cardenal Don Rodrigo de Borja, el qual confiesa ser natural de Xátiva (a).

Als molt magnifichs, savis, senyors los jurats de la ciutat de Xativa.

Molt magnifichs, et molt savis senyors: laltre iorn rebi una letra vostra demanantme vos avisas de la solempnitat, ab la qual entra lo reverendissim cardenal legat en la present ciutat. A la qual vos responch, que per esser natural lo dit reverendissim cardenal de aquexa ciutat, e considerada la dignitat e grandissima potestat que te, per aquexa ciutat deu esser mort solempnissimament rebut. Lo que aci se feu en la sua recepcio fon que tots los officials reals e de la ciutat acompanyats de moltes notables gents, e tots los nobles, cavallers, ciutadans, e altres a caball lo hixqueren a reebre fins a les tavernes blanques; que es tant com se fa a novella entrada de nostre rey e señor; e al abeurador del camí de Murvedre tots los jurats, governador general, el altres notables nobles et ciudatans fins en numero de dotse lo esperaren ab hun solempne pali, dins lo qual a caval aná lo dit cardenal; e los qui portaven lo pali tots a peu. E quant foren al portal dels serrans, lo qual estaba enpaliat de draps de raç, e ab sons diversos de trompetes e tabals entra dins la ciutat; e en lo portal troba la professo gene-

(a) Sacada de la copia que con otros documentos sobre este asunto posee D. Antonio Mateo Pueyo en S. Felipe.

ral de la sglesia molt solempne ab pali que portaven capellans, e lo bisbe una fas de la verge Maria, cantant *Te Deum laudamus:* axi ab la professo dabant, e ell en lo pali dels officials aná lo dit reverendissim cardenal, feu gran volta per tota la ciutat fins a la seu, y de alli feyta oracio ana a sa posada episcopal. Per totes les carreres hon passa, les finestres e enfronts de portes estaven enpaliades de draps de raç, et bancals e les portes dels menestrals en les coses de lurs mesters, lo millor que tenien. Tota la gent de la ciutat li feya gran festa e honor. Aço senyors no es cosa de gran cost, que la mes espesa es lo pali, lo qual es dels seus, dich del senyor cardenal. Axi, senyors, considerau la honor que reporta aquexa ciutat per esserne ell natural de ella. E feuli solempne festa; e nous podeu escusar de pali. Ell tramet aqui lo reverent mestre Alfageri mestre en teologia, servidor seu ab lletra peral magnifich gobernador, justicia e jurats de aquexa ciutat, per notificarvos la sua anada. Sa senyoria mena dit sera en aquesa ciutat dimecres a pres menjar, e digous de mati o per tot dia: feu e preparau lo que mester es, e feuli molta honor, que no fareu ultra lo seu merexer; e manau de mi, e sera feyt. scrit en Valencia a 30 de Juliol 1473.

Concordauvos ab lo capitol sobre la professo; encara quells ne hauran lur carrehc. A vostra ordinacio prest Jacme Rossell.

XV.

Hugonis de Lupia et Bages, episcopi Valentini, epistola ad cler. suae dioeces. in synodo ann. 1400 celebrata.

EX ARCH. ECCLES. COLLEGIAT. SETAB.

Nos Hugo, Dei gratiâ episcopus Valentinensis, ad humilem supplicationem totius cleri civitatis, et dioc. nos-

trae Valentin., congregati in praesenti synodo, quam in civitate Valentiae celebramus, remittimus gratiosè, relaxamus, absolvimus, difinimus, et etiam perdonamus vobis universis, et singulis rectoribus, vicariis perpetuis, et aliis praesbyteris et clericis beneficiatis tam in civitate vel diocesi supradictis, demptis inferius nominatis, omnia et quaecumque crimina, et delicta resistentiae, et de omni lapsu carnis, et alios quoscumque excessus per vos, seu vestrum alterum perpetratos, commissos, et factos modo quolibet sine forma à toto tempore retro lapso usque in hunc diem praesentem, omnesque poenas civiles, et etiam criminales, spirituales, et etiam corporales, pecuniarias et alias qualescumque quocumque nomine censeantur, ad quam, vel quas in genere, vel specie vos praedicti rectores, vicarii, vel beneficiati teneremini, quovis modo vel forma; exceptis tamen criminibus infrascriptis; ita quod pro praedictis vel aliquo eorundem amodo non positis capi, detineri, vexari, denunciari, accusari, vel alias quomodolibet molestari: cancellantes, anullantes, cassantes, et etiam revocantes, omnes et quascumque denunciationes clamos, empsias, accusationes, et inquisitiones propositas, seu receptas, et factas contra vos, seu alterum vestrum ad instantiam fisci nostri, tam publicè quam secretè usque in diem praesentem, de quibuscumque criminibus, seu delictis parvis, seu magnis, etiam si in iis ad receptionem confessionis, et testium receptionem, seu alias quomodolibet sit processum. Quas tamen remissiones, relaxationes, absolutiones, et definitiones facimus et concedimus si et in quantum se vires potestatis nostrae extendunt. Mandantes etiam cum praesenti, et firmiter injungentes universis et singulis officialibus et fiscalibus nostris praesentibus, et futuris, quatenus remissiones, relaxationes, et gratias nostras praesentes firmas habeant, teneant,

et observent, ac faciant ab aliis ut convenit observari, et in aliquo non contraveniant seu faciant quovis modo. Quoniam nos in et super praedictis omnibus et singulis nobis et eis silentium imponimus sempiternum, ac bonum finem, et pactum perpetuum vobis et vestrum singulis facimus de ulterius aliquid non petendo, seu inquietando vos seu bona vestra in judicio vel extra, rationibus antedictis; si, et prout melius et utilius dici possit, scribi, et intelligi ad vestri et vestrorum sincerum et perpetuum intellectum. Exceptis tamen et retentis criminibus haeresis, sodomiae, simoniae, usurae, falsatoris monetae, homicidii voluntarii, et lesae majestatis, mutilationis membrorum, et raptu mulierum; exceptis etiam casibus in quibus compositio est jam facta, et illis praesbyteris seu clericis inculpatis, seu delatis de criminibus perpetratis occasione bandositatum civitatis Xativae, ac Petro Coria, et Petro Dares, praesbyteris Valentinis, ac illis qui invenientur fore consentientes, vel fuerint inculpati de vulneribus Johanis Riera, et Francisci Martorelli, quos in remissionibus et gratiis supradictis non intendimus aliquatenus comprehendi, nisi forsitan inter fischum nostrum et aliquem de dictis vulneribus inculpatum per sententiam, transactionem, compositionem, vel alias negotium fuerit jam finitum. Ulterius de gratia speciali concedimus vobis universis et singulis rectoribus, vicariis, et praesbyteris civitatis et diocesis praedictarum, quod possitis ad invicem vos in confessione absolvere de casibus episcopo reservatis, quos vobis committimus cum praesenti totiens quotiens volueritis confiteri. Exceptis aliquibus casibus consuetis episcopo specialiter reservari. Concedimus etiam vobis universis et singulis rectoribus beneficiatis civitatis et dioc. praedictarum, quod per biennium continuum possitis et valeatis missas votivas et tricenaria scilicet vos

dicti rectores usque ad summam XII librarum, et beneficiati usque ad XV libr. licitè celebrare vestris beneficiis serviendo. Item vos dicti beneficiati possitis vestris beneficiis per substitutos idoneos per dictum biennium facere deservire; quibus tamen substitutis pro dicto servitio centum solidos anno quolibet, et non minus solvere habeatis. Alioquin hujusmodi nostra gratia nullius penitus sit valoris. Constitutione, vel ordinatione contrariâ non obstante; ipsa tamen post lapsum dictum biennium in suo robore duratura. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum praesentem cartam nostram vobis fieri volumus, nostri sigilli munimine roboratam. Dat. Valentiae 15 die Octobris anno à Nativ. Domini M.CCCC.=*Hugo episcopus.*

XVI.

S. Thomae à Villanova archiep. Valent. convocatio ad synodum celebr. ann. 1548.

EX AUTOGR. IN ARCH. ECCL. SETAB.

Frater Thomas de Villanova, Dei et apostolicae sedis gratia archiepiscopus Valentinus, reverendis ac venerabilibus in Christo dilectis capitulo, canonicis, dignitatibus nostrae ecclesiae metropolitanae Valentinae; ac aliarum collegiatarum ecclesiarum dioc. Valentinensis, abbatibus, rectoribus, vicariis perpetuis, ceterisque praesbyteris curam animarum exercentibus, quibus interest à jure episcopali synodo assistere, salutem in Domino. Quum per statuta sanctorum patrum, et sacros canones dispositum sit, et ordinatum quod quilibet episcopus in sua dioc. ad determinandum causas ecclesiasticas (quae) interveniunt, necnon ut qui laesi se extimaverint, justitiam petere possint,

et synodalem expectare sententiam, ac pro corrigendis excessibus, et moribus reformandis, ac aliis rebus, et negotiis Christi servitium, et divini cultus augmentum bonumque et utile suae dioc., totiusque cleri, ecclesiarumque, et plebis honestatem, reformationem, bonumque statum concernentibus, pertractandis, statuendis, et ordinandis, singulis annis synodum congregare ac celebrare teneatur: et propter longam, et diuturnam nostrorum praedecessorum absentiam, quod nimis dolendum est, in hac nostra dioc. Valentinâ per centum et eo amplius annos nulla synodus celebrata sit: cupientes saluti animarum providere, et quae ad officium nostrum et curam pastoralem attinent debitâ sollicitudine adimplere, in hac nostrâ ecclesiâ Valentinâ episcopalem synodum cum Dei adjutorio et favore die duodecimâ mensis Junii proximè venturi celebrare decernimus, et ordinamus; providè vos omnes et singulos supradictos exhortamus, monemus, et in virtute sanctae obedientiae mandamus, quatenus postquam per has nostras litteras citati, et moniti fueritis, ad dictam diem per vos aut per vestros legitimos procuratores, si infirmitas, aut aliud canonicum impedimentum non intercesserit, in hoc nostro palatio Valent. die supradictâ compareatis, et assistatis, super praemissis, et aliis dictam synodum concernentibus debitè proposituri, tractaturi, et provisuri, sicut rerum necessitas, et commoditas exegerit. Alioquin in et super praemissis, prout juris et rationis fuerit, vestri absentiâ in aliquo non obstante, verùm contumaciam exigente, in dictâ synodo procedemus. Super praesentatione vero vobis de praesentibus faciendâ relationi latoris earundem fidem indubiam adhibebimus. Datis et actis in palatio nostro archiep. Val. die XII mensis Maii ann. à Nat. Dom. M.D.XXXXVIII. =*Fr. Thom. arch. Valent.*

Carta de Santo Tomas de Villanueva, arzobispo de Valencia, al cabildo de Xátiva, exhortándole á que nombre procurador para el sínodo, cuya convocatoria les incluia (*a*).

A los muy reverendos señores los señores canónigos y capítulo de la iglesia de Xátiva.

Muy reverendos señores: viendo la necesidad que hay de reformar algunas cosas en esta diócesi, y que ha tanto tiempo que por la ausencia de los perlados no se ha celebrado sínodo, nos ha parecido para cumplir á lo que somos obligados en este cargo pastoral, de convocar sínodo para doçe del mes siguiente, como mas largamente vereis por las letras de la convocacion, que el portador de la presente hos presentara: cumple que luego ayuntando capítulo, elijais un canónigo desa iglesia que venga con poder bastante del capítulo para asistir al sínodo, y procurar todas las cosas tocantes á essa iglesia y capítulo en vuestro nombre. Y porque soy cierto que en esto no habrá negligencia, no alargo mas. Nuestro Señor vuestras muy reverendas personas guarde en su servicio; de Valencia à XIIII de Mayo, anyo de MDXXXXVIII. Vester F. Thomas arch. Valent.

(*a*) Copiado del original del archivo de la iglesia de Xátiva.

XVII.

Testamentum et codicilla ordinata à D. Fr. Raymundo de Ponte, episcopo Valent. anno 1312 Tarracone quo cum aliis episcopis ad concilium provinciale ueherat, ubi et mortuus est die 13 Novembris.

EX ARCH. ECCL. CATEDR. VALENT.

In nomine Domini. Amen. Ego frater Raymundus miseratione divinâ episcopus, ad honorem Dei, et beatissimae Mariae virginis Matris ejus, et omnium sanctorum, et in remedium animae meae et omnium fidelium defunctorum condo ultimum meum testamentum, et eligo manumissores et executores meos Berengarium, Marci, Sacristam Val. et Guillelmum de Valleviridi, canonicum ejusdem, qui ordinent, et faciant de omnibus bonis meis prout inferius invenerint ordinatum.

In primis eligo sepulturam meam in capellâ omnium sanctorum sedis Val. ita quod...ante altare omnium SS. in carnerio ibi facto, et quod ibi jaceat corpus meum donec carnes fuerint consumptae, et tunc reponantur ossa intùs in tumbâ jam per me factâ, existente in pariete dictae capellae. Et pro eleemosynâ ad emendum censualia dimitto et lego quadraginta mill. sol. regal. Valen. quos Bernardus Zanou tenet, sicut ipse mihi reddidit rationem quando recessi de Valentiâ, et dedit in scriptis in quodam quaterno papiri quem michi tradidit, et est in quadam caxiolâ meâ.

Item lego pro emendis censualibus ad opus eleemosynae praedictae omnes intratas quas dictus Bernardus Zanou recepit, et debet recipere pro censuali de Alcharea quae empta fuit pro dictâ eleemosynâ anno praeterito.

Item lego pro fabricâ sed. Val. fructus et proventus decimarum et aliorum, spectantes ad episcopum Valentiae in Muroveteri et in Algezirâ, et terminis ejus, de quibus secundum constitutionem eccl. Val. possum testari et ordinare per annum continuum et perfectum post mortem meam.

Item cum dictus Bernardus Zanou tradiderit michi in dicto quaterno scriptum quod debebantur michi octuaginta mill. sol. reg. Val., et aliquid plus de redditibus ad me spectantibus à trecentesimo primo anno usque ad duodecimum annum praesentem, dimitto quadraginta mille sol. dividendorum ad arbitrium Berengarii Marci, sacristae Val. et G. de Valleviridi, unà cum Bernardo Zanou inter pauperes, qui sine culpâ suâ in emptionibus, quas fecerunt de redditibus meis casu fortuito aliquid perdiderunt.

Et de residuo volo quod inter pauperes verecundos, necnon et religiosos civitatis Val. ad arbitrium praedictorum Berengarii et Guillelmi fiat divisio. Ita tamen quòd dentur fratribus praedic. Valent. tria millia sol. ultra tria millia quae jam eis dederam, et credo quod sint in tabula Bernardi Planelli campsoris. Sic quòd in universo sint sex mille sol., de quibus emant censualia pro vesturâ fratrum: habeant et partem unam de distributione praedictâ, prout contingat eos.

Et conventus praedicatorum Xativae habeat mille sol., et nichilominus partem sibi contingentem de dictâ distributione.

Item cùm dictus Bernardus Zanou dedit mihi scriptum in praedicto quaterno, quod redditus mei duodecimi anni ascendebant ad quantitatem centum viginti mill. novem sol., de quibus nichil dicebat se adhuc recepisse; volo quod deductâ manutentione familiae meae, et eleemosynâ

faciendâ quibusdam pauperibus pe....Valent. existentibus, tam in domo episcopali, quàm extra, quos cognoscit dictus Bernardus Zanou; quae remuneratio et eleemosyna fiat ad arbitrium praedictorum Berengarii, et Guillelmi; residuum dividatur sic quod tria mill. sol. mittantur apud Fragam (a) dividendae inter pauperes de parentelâ meâ, et dentur viginti mill. sol. pro captivis redimendis.

Item cùm dico mill. sol. debeantur pro ultramarino passagio faciendo de pretio domorum ordinis saccorum, quae fuerunt reposita in tabulâ Bernardi Planell, campsoris Val., dentur dicto passagio, si sunt ibi.

Si autem receptae vel levatae fuerint nomine meo per Patilianum Gamhir procuratorem meum, reddantur et solvantur de quantitate superiùs nominatâ.

Item dentur de quantitate praedictâ cuilibet monasterio fratrum praedicator. extra regnum Valent. per terram regi Aragoniae ei immediatè subjectam constitutorum, viginti libras regal. Valent.

Item volo quòd dentur quatuor mill. sol reg. Val. de quibus emantur redditus annuales in ortâ Fragae, vel locorum circumstantium, de quibus redditibus fiat eleemosyna anno quolibet in mense Aprilis vel Maii die quolibet pauperibus verecundis et aliis ad arbitrium Bernardi de Onte in vitâ suâ, et post mortem ejus, illius, vel illorum qui sibi successerint, vel haeres extiterit, et postmodum in perpetuum sic fiat. Quod autem de quantitate duodecimi anni superius nominati remanserit, lego et dimitto ad opus claustri sedis Val. faciendi.

Item dimitto summam fratris Thomae quae est in quatuor voluminibus, quorum primum habet frater Michael de Fraga, conventui fratrum praedic. Xativae. Et summa

(a) Oppidum in Aragoniae regno, hujus episcopi natale solum.

etiam contra gentiles et psalterium glossatum et appostillatum cum appostillâ fratris Nicolai cum bibliâ majori.

Item libri fratris Bernardi quondam archidiaconi Val. volo quod reddantur juxta ordinationem suam.

Item bibliam meam minorem dimmito conventui Illerdae.

Item sententias, et primum, et secundum et quartum fratris Thomae super sententias, et Morale Job, et Exameron, et scriptum beati Gregorii super Ezequiel in uno volumine, et appostillam super Apocalypsim, et super Ecclesiasten in uno volumine relinquo conventui fratrum pr. Valentiae.=Item concordantias bibliae lego conventui fr. praed. Xativae.=Item sermones dominicales et sanctorales qui incipiunt post pascha, dimitto fr. G. de Segur de ordine fratrum minorum.=Item librum cum cooperatorio viridi, qui incipit, *Abstinentia*, et decretum quod emi à p. Gomir cum duobus voluminibus lecturae decreti, quae fuerunt Olivarii quondam canonici Val., lego capellae praedictae omnium SS., et volo quod ponantur in capellâ praedictâ, et ligentur singulis catenis, ita quod non possint extrahi inde.

Item scripta fratris Thomae super evangeliis in tribus voluminibus cum sermonibus sanctorum qui incipiunt: *Eduxerunt*...., et cum distinctionibus quae incipiunt *Absconditur malum*, dimitto successori meo. Alios libros, quos habeo in theologiâ, volo distribui inter fratres qui mecum erunt in die mortis meae per praefatos Berengarium et Guill.

Item appostillam fratris Nicolai super Ecclesiasticum dimitto fr. Michaeli de Fraga de ordine praedicator. Item usum bibliae minoris, et librorum aliorum quos supra relinqui conventibus fratrum praedicatorum Valentiae, et Xativae, dimitto dicto fratri Michaeli de Fraga in totâ

vitâ suâ, si tamen in eodem ordine steterit; post mortem vero suam, vel si contingeret eum ad alium ordinem transferri, volo quod sint conventuum, prout eis per me superius sunt legati. Libros capellae feriales dimitto capellae S. Bartholomaei Fragae. Capelles albam et nigram et rubeam minorem dimitto capellae praedictae omnium sanctorum. Rubeam majorem dimitto sedi Valentiae. Viridem conventui fratrum praedicatorum Xativae. Mitras meas, chirothecas et baculum pastoralem cum pede argenteo et missale novum jam factum dimitto successori meo et ecclesiae Valentinae.=Annuli quos habeo, volo quod vendantur, et praetium eorum detur pauperibus per praedictos Berengarium et G.

Decretales, apparatus Ostiensis in duobus voluminibus summam Ostien. decretum et codicem, et omnes alios libros juris volo vendi per manumissores meos, et praetium eorum dari pro animâ meâ et illorum pro quibus exercui advocationis officium.=Lecturam archidiaconi super decretum, quam dederat mihi P. de Villarasa, si vult eam recuperare, recuperet, et restituat Innocentium quem tenet, qui vendatur cum aliis libris, et praetium distribuatur.=Idem fiat de dictâ lecturâ, et praetii ejus, si eam non recuperaverit dictus P.

Duo responsoria, sanctorale et dominicale ponantur ante cathedram succentoris in parte illâ in qua ego sedere consuevi cum singulis catenis. Innocentii apparatus cum cooperturâ albâ fuit Berengarii de Quaranta, vendatur, et praetium detur amore Dei pro ejus animâ, et meâ, quia ego credo quod dictus Berengarius debet mihi quinquaginta florenos.=Item lectura Odofredi cum coopertorio rubeo super codicem credo quod fuerit Geraldi de Albalato, vendatur, et praetium detur amore Dei.=Expositio super Genesim cum coopertorio viridi

sit praepositi eleemosynae qui pro tempore fuerit.=Quidam libri minuti, qui sunt in studio superiori, dentur Bartholomaeo de Caneto, et fuerunt sicut credo, avunculi sui, vel magistri Bernardi Gaucerandi, et faciat aliquam eleemosynam pro eis, vel dentur amore Dei.

Lectus meus et omnia apparamenta lecti, et vestes, quas dimissero, dividantur per manumissores meos inter pauperes fratres extraneos, qui tunc fuerint in conventibus Valentiae, et Xativae; ita tamen quod fratribus, qui mecum erunt, dentur quatuor tunicae, et quatuor habitus de melioribus.

Utensilia et alia apparamenta coquinae, et totius domus quae remanebunt, dimitto in domo, sicut erunt tempore mortis meae; nec alibi distrahantur.=Item argentum novum volo quod vendatur, et de praetio ejus solvantur expensae sepulturae meae, quas volo fieri temperatas; et si quid residuum fuerit, detur pauperibus. Et est sciendum quod sunt sex baciles argenti, item triginta sex scutellae majores argenti, et decem minores, quae grelia vocantur. Item quinque cifi argenti. Item tres copes cum sobrecopis, et unum sobrecope sine cope argenti. Item viginti duae taciae argenti. Item duo pixeria argenti. Item viginti novem cloquearia argenti.

Item annulus episcopalis cum saphiro, et smaragdis in circuitu saphiri, et quaedam crux parva argent restituatur executoribus testamenti Joannis de Turrifranca quondam sacristae Ilerden. Etsi forte executores ostenderent aliquam scripturam in qua contineatur quod ego plus recepi de annulis vel aliis jocelibus à dicto sacristâ, in veritate quâ Deus est, praetererit quod scriptum est, et quod emi ab ipsis executoribus totum recuperavit dictus Joannes de Turresancta (a) in vitâ suâ. Illud quod ego emi à

(a) Superius dixit *Turrifranca*.

dictis executoribus, scit Michael Brescha, qui solvit praetium eis.

Si quae debita mihi debentur ab aliquibus, volo quod recuperentur, et addantur pecuniae, quam lego eleemosynae supradictae. Haec est ultima mea voluntas quam feci in vigilia Omnium Sanctorum apud Tarraehonam in domo praedicatorum die Martis pridie calendas Novembris anno Domini M.CCCXII.

Secunda ordinatio.

Ego frater Raymundus de Ponte, divinâ miseratione Valent. episcopus illud quod ego mando in testamento de remuneratione familiae, declaro sic, quod Peregrino de Ponte dentur mille sol. regal. Val. et mula mea in qua consuevi equitare.=Item Simoni del Amazgial mille sol.=Item Pet. Zavall presbytero mille sol. et mula in qua equitat.=Item Ferrario scriptori meo ducenti sol.=Item Michaeli de Rotlâ septingenti sol., sine trecentis quos sibi his diebus dedi, sive commodavi, et sic istos etiam sibi dimitto.=Item Poncio de Almanarâ quingenti sol. et quingentos quos mihi debet, etiam ei dimitto.=Item fratri Michaeli de Fragâ quingentos sol. cum quibus possit remanere Parisiis in studio, ubi est.=Item omnibus Trotariis (*a*) qui modo mecum morantur, cuilibet viginti sol. pro quolibet anno quo mecum fuerunt.=Item Dominico Costa, ultra illos ducentos sol. quos nuper dedi sibi Valentiae, dimitto XL. sol. pro quolibet anno quo michi servivit.=Item Bernardo de Torrente militi mille sol. Et quia ipse dicit, ut audio, quod ego promissi sibi quinque mille sol., numquam promissi sibi, sed in matrimonio suo dedi sibi mille sol.: dedi etiam sibi his diebus Barchinone unum rocinum, qui constitit michi à Ber-

(*a*) Cursoribus, vel pedissequis.

nardo Zanou octogentis sol., et ipse scit praetium; dedi et sibi unum mulum quem emi à rectore de Benaguacir, praetium autem scit Bernardus de Nuce, et praeter haec multoties dedi sibi.=Item Dominico Melet mille sol.= Haec autem feci scribi in meâ praesentiâ in domo fratrum praed. Tarracone in infirmitate constitutus per fr. Bernardum Durandi socium et confessorem meum ann. MCCCXII die sabbati post festum Omnium Sanctorum pridie non. Novembris.

Tertia ordinatio.

Cum ego frater Raymundus, miseratione divinâ Val. episcopus, ordinavi de totâ pecuniâ Valent. reddituum episcopatus istius XII anni, ac si omnes reddítus et pecunias ad me spectarent, et postea, Deo inspirante, invenerim in corde meo quod redditus istius XII anni non pertinent ad me nisi usque ad diem obitus mei pro ratâ temporis quo ego vixero, et residuum spectabit ad successorem, sicut ego credo; ideoque haberentur legata quae feci de istis redditibus diminui; ordino, mando et volo quod nullum legatum diminuatur, nisi legatum quod feci pro claustro sedis Valentiae faciendo, et alia legata completè solventur, et si nichil in illo legato claustri remaneat.

Volo etiam quod de ordinatione quam feci de LXXXIIII mill. sol., qui debentur michi de debitis antiquis, quod XL mill. dividerentur illis qui emerunt à me redditus, et perdiderunt sine culpâ suâ, quod illud stet sicut ordinatum extitit in ordinatione quam feci in vigiliâ omnium SS. Quod autem ibi dicitur quod residuum divideretur inter religiosos et alios pauperes civitatis et diocesis Valent., volo et ordino quod triginta mill. sol. tantum de illo residuo dividantur inter religiosos et pauperes supra-

dictos. Residuum remaneat pro expensis quae habebunt fieri in deportando corpore ad Valent. et sepultura. Si quid deficeret suppleatur de debitis quae michi dominus rex debet, cui supplico quod in solutione debitorum sit favorabilis, propicius, et benignus. Et recognosco me fecisse tres ordinationes quarum primam feci in vigilia Omnium SS. et est sigillata sigillis dominorum archiepiscopi Tarrachone, et Caesaraugustae, Dertusen. et Oscen. episcoporum. Secundam heri quod fuit dies sabbati, et est sigillata sigillo domini Caesaraugustae, et mei. Et tertiam istam quam modò facio die dominicâ post festum Omnium SS. in mane, quam volo sigillari sigillo meo et episcopi Caesaraugustani.

Quarta ordinatio.

Ego frater Raymundus, miseratione divinâ Valent. episcopus, volo et mando quod Bernardus Zanou remaneat in officio suo, colligendo omnes redditus et debita mea tandiu donec fuerint plenè et integrè collecta, et respondeat sicut collegerit dictis Berengario Marci, sacristae, et Guillelmo de Valleviridi, canonico, manumissoribus meis; et ipsi manumissores de consilio ipsius Bernardi, qui in hiis et in aliis factis meis est instructus, faciant et compleant prout per me est jam in testamento ordinatum.

Item dimitto Catarinae, filiae quondam Peregrini de Ponte, in adjutorium matrimonii sui tria mill. sol.; qui sibi solvantur de quinque mill. sol. quos mihi debet Rodericus de Castris, et residuum dictorum quinque mill. sol. scilicet duo mill. sol. dimitto filiae P. de Ontinyent, et etiam tria mill. sol. ultra illos duos mill. sol. qui solvantur sibi de debito seu debitis, quod, seu quae dominus rex michi debet.

Item dimitto sorori Raymundi de S. Joanne mille sol. quos volo quod solvantur de debitis praedicti domini regis.

Item cum ego ordinaverim in secundâ ordinatione, quam scripsit frater Bernardus Durandi, et est sigillata sigillo domini episcopi Caesaraugustani, et mei, quod cuilibet trotario darentur viginti solidi pro quolibet anno, quo mecum fuerunt; volo quod addantur alii viginti solidi, ita quod quilibet habeat XL solidos pro quolibet anno. =Item volo et mando quod cuilibet azemblario (*a*) mecum sunt, dentur pro quolibet anno, ultra mercedem quam accipiebant, triginta solidi.

Volo etiam et mando quod mille solidi, quos in secundâ ordinatione dimitto Dominico Malet, intelligantur illi mille solidi, quos per Bernardum Zanou sibi jam Valentiae dari mandavi.=Item volo quod dentur et solvantur Michaeli de Rotla trecenti solidi regalium, quod asserit se expendisse in servitio nostro in viatico Almeriae.

Item dimitto Petro Bertrandi quadringentos solidos. =Item dimitto Joanni cursori meo, Dominico Vallares, et Garciae Lopiç repostariis, et Dominico cocastro, cuilibet quadraginta solidi pro quolibet anno quo mecum fuerunt.=Item dimitto Michaeli Bresca ducentos solidos, quos dixit se expendisse in apparamento quod fecit ratione viatici Almeriae.=Item volo et mando quod praedicto Bernardo Zanou fiat complementum mille sol. pro quolibet anno quo in servitio meo fuit.=Item dimitto mulum album Dominico Maloc (*b*) praedicto.= Item dimitto Michaeli Ricoma ducentos solidos quos sibi dare promissi in curiâ. Omnia alia bona mea, ubicumque sint, et debita quae mihi ab aliquibus debentur un-

(*a*) Mulioni, quod nostris est *azemilero*. (*b*) Superius *Malet*.

decumque, volo quod dentur et expendatur in piis causis et locis ad arbitrium et cognitionem dictorum manumissorum meorum.

Item volo quòd opus quod ego mandavi fieri Bernardo Zanou in domo praedicat. Valent. compleatur secundum quod ego mandavi eidem.=Haec est quarta ordinatio quam feci die jovis quae dicebatur V idus Novembris, et eam mando sigillari sigillo meo, et prioris provincialis praedicatorum provinciae Aragoniae.

Quinta ordinatio.

Ego frater Raymundus, miseratione divinâ Val. episcopus, volo et mando Machario de Bareyns civi Tarraconae quòd pecuniam, et alias res omnes quae sunt in quadam caxia quae est in domo dicti Macharii, quas à me tenet in comandâ, det et tradat fratri Bernardo Durandi ord. praedicat. socio et confessori meo, et Dominico Zavall presbytero et Michaeli Bresca de domo meâ; ita quod ipsi, si me mori contingat in Tarraconâ, de praedictâ pecuniâ faciant expensas et alia necessaria ad portandum corpus meum apud Valent. Et totum residuum volo quòd ipsi teneantur dare et tradere Berengario Marci, sacristae Val. et Guillelmo de Valleviridi, canonico ejusdem, manumissoribus meis. Volo et mando quod praefati, frater Bernardus, P. Zavall, et Michael Bresca accipiant omnia alia bona mea, quae habeo Tarracone, et portari faciant apud Valent., et dictis manumissoribus meis tradant.=*Hucusque exemplar unde haec descripsimus; pauca tamen desunt, et fortassis sola subscriptio.*

XVIII.

Jacobi I Arag. regis dipplema, in quo se paratum fatetur ad reddendam satisfactionem ob injuriam Gerundensi episcopo illatam.

EX ARCH. MONAST. DE BENIFAZA.

Nos Jacobus, Dei gratia rex Aragonum &c. ad consilium, et cohortationem fratris Desiderii, domini papae poenitentiarii (*a*), recognoscimus in facto mutilationis linguae episcopi Gerundensis graviter excessisse, et universalem matrem in eodem facto immaniter offendisse; animum nostrum ira, et indignatio maxima perturbat; propter quod dolentes contriti et humiliati, à Deo, et à summo pontifice ejus vicario in terris veniam suppliciter postulamus, in signum verae contritionis nostrae promittimus quod per litteras nostras patentes à dicto episcopo injuriam passo postulabimus veniam devotè, quod per litteras nostras domino papae supplicabimus, quod non obstantibus litteris et precibus affectuosis, quas pro ejectione ejus de regno nostro direximus (*b*), faciat quod ei utilius videbitur faciendum. Ita quod si in loco suo ipsum dimiserit, gratum habebimus, et pro injuria illata ecclesiae Gerundensi satisfactionem faciemus, alterum istorum faciendo, aut instruemus hospitale, vel complebimus abba-

(*a*) Erat hic fratr. ord. minorum, quem Innocentius IV ad Jac. Arag. regem miserat, ut eum ad hanc dandam satisfactionem hortaretur.

(*b*) Ex his conjicitur Jacobum antea ab Innocentio postulasse absolutionem, et exilii sententiae in episcopum latae confirmationem.

ciam de Beniffazano ordinis cisterciensis jam de novo inceptam, vel complebimus hospitale Sancti Vincentii in civitate Valentiae, vel aliquos redditus assignabimus ecclesiae Gerundensi, secundum quod domino papae melius videbitur expedire. Et quia multi de regnis nostris, credunt (f. *credentes*) nos contra ordinem praedicatorum indignatos, subtraxerunt eis suam familiaritatem et beneficia, timentes se ex eorum familiaritate nostram malivolentiam incursuros: promittimus quod ad omnia loca regnorum nostrorum, in quibus dicti fratres habent loca, personaliter accedemus, humiliter nos eis reconciliantes, et eosdem ad nostrum amorem reducentes pristinum, et populo, et clero earundem civitatum communiter convocatis significabimus nos contra ordinem fratrum praedicatorum in nullo esse offensos, sed eos diligere volumus, honorare, et promovere (*a*). Et praecipiemus quod idem faciant omnes nostri. Et convocabimus curiam praelatorum et nobilium, et civium regnorum nostrorum, coram omnibus super praedicto scelere recognoscentes, humiliter culpam nostram, per omnem modum taliter nos humiliantes, quod sicut in magnitudine reatus materiam scandali praebuimus eisdem, ita in maxima nostri humiliatione aedificationis materiam praestabimus Domino concedente. Et haec omnia dicemus et faciemus salva semper conscientia, et praevia veritate. Dat. Valentiae nonas Augusti (*b*).

(*a*) Episcopus offensus erat ordinis praedicatorum. Berengarius de Castellbisbal. (*b*) Ann. 1246.

XIX.

Ejusdem Jacobi I. Arag. regis epistola ad Innocentium IV in qua hujus criminis optatam absolutionem expostulat.

EX ARCH. EJUSD. MONASTERII.

Sanctissimo in Christo patri, ac domino, et charissimo consanguineo suo Innocentio, divinâ providentiâ sacrosanctae romanae ecclesiae summo pontifici, Jacobus Dei gratiâ rex Aragonum, Majoricarum et Valentiae, comes Barchinonae, et Urgelli, et dominus Montispesulani, debitam reverentiam, et honorem. Ex parte sanctitatis vestrae litteras recepimus super facto, pro quo vinculum excommunicationis incideramus, quod multum grave gerimus, et molestum, quoniam nulla de causa justè vel injustè nobis placet, nec numquam placuit, tantum periculum incurrisse. Sed de illo, qui nos permittit in terris vivere et regnare fiduciam gerimus pleniorem quod auxilio ipsius, et vestris mediantibus taliter faciemus, quod onus istud ab humeris nostris relevabitur, et numquam in consimile relabamur. Et licet aliquibus verba litterarum vestrarum visa fuerint aspera, atque dura, tamen nos ea benignè recipimus, et correctionem vestram intelligimus pro magnâ gratiâ, et amore, et sanctitatis vestrae consilium, sicut obedientiae filius amplectentes vos semper, et ecclesiam super omnia proponimus revereri, nec aliqua ratione à tramite ecclesiae deviare, vel ipsam in aliquo scandalizare vobis grates omnimodas refferendo quando fratrem Desiderium, vestrum poenitentiarum, virum providum et discretum nostris postulatis transmisistis, per cujus verba sensimus quod quantum in personâ vestrâ persistit, omnem quantum commo-

per se, quàm per procuratores, et sindicos, praesentiam venientium, ad nostram (quod dolenter referimus) audientiam pervenisset quod, magister, praeceptores, et alii fratres dicti ordinis, et ipse ordo praefatis, et pluribus aliis erant criminibus irretiti, et praemissa per multas confessiones, attestationes, et depositiones praefati magistri, visitatoris Franciae, ac plurium praeceptorum, et fratrum ordinis praelibati coram multis praelatis, et haereticae pravitatis inquisitore, auctoritate apostolicâ praecedente, in regno Franciae factas, habitas, et receptas, et in publicam scripturam redactas, nobisque et fratribus nostris ostensas, probari quodammodo viderentur: ac nihilominus fama, et clamores praedicti in tantum invaluissent, et etiam ostendissent tam contra ipsum ordinem, quàm contra personas singulares ejusdem, quod sine grave scandalo praeteriri non poterant, nec absque imminenti fidei periculo tolerari: nos illius, cujus vices, licet immeriti, in terris gerimus, vestigiis inhaerentes, ad inquirendum de praedictis ratione praeviâ duximus procedendum, multosque de praeceptoribus, presbyteris, militibus, et aliis fratribus dicti ordinis reputationis non modicae in nostrâ praesentiâ constitutos, (praestito ab eis nichilominus juramento, et eis cum affectione non modica per Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum sub obtestatione divini judicii, ac interminatione maledictionis aeternae, in virtute sanctae obedientiae adjuratis, quod tunc in loco tuto, et idoneo constituti, ubi nihil eos timere oportebat, non obstantibus confessionibus per eos coram aliis factis, per quas eisdem confitentibus nullum fieri praejudicium volebamus, super praemissis meram, et plenam nobis dicerent veritatem) super his interrogavimus, et usque ad numerum septuaginta duorum examinavimus, multis ex fratribus nostris nobis assistentibus diligenter, eorumque

confessiones per publicas manus in aucthenticam scripturam redactas illico in nostrâ, et dictorum fratrum nostrorum praesentiâ, ac deinde interposito aliquorum dierum spatio in consistorio legi fecimus coram ipsis, et illas in suo vulgari cuilibet eorum exponi, qui perseverantes in illis, eas expressè, et spontè prout recitatae fuerant, approbarunt. Post quae cum generali magistro, visitatore Franciae, et praecipuis praeceptoribus praefati ordinis intendentes super praemissis inquirere per nos ipsos, ipsum generalem magistrum, et visitatorem Franciae, ac terrae ultramarinae Normanniae, Aquitaniae, ac Pictaviae, praeceptores majores, nobis Pictavis existentibus mandavimus praesentari. Sed cum quidam ex eis sic infirmabantur tunch temporis quod aequitare non poterant, nec ad nostram praesentiam commodè adduci; nos cum eis scire volentes de praemissis omnibus veritatem, et an vera essent quae continebantur in eorum confessionibus, et depositionibus, quas coram inquisitore pravitatis haereticae in regno Franciae supradicto praesentibus quibusdam notariis publicis, et multis aliis bonis viris dicebatur fecisse, nobis, et fratribus nostris per ipsum inquisitorem sub manibus publicis exhibitas, et ostensas, dilectis filiis nostris Berengario tunc tituli Nerei et Aquilei, nunc episcopo Tusculano, et Stephano tituli Sancti Ciriaci in thermis, presbytero, et Landulpho titulo Sancti Angeli diacono, cardinalibus, de quorum prudentiâ, experientiâ, et fidelitate indubitata n fiduciam obtinemus, commissimus, et mandavimus ut ipsi cum praefatis magistro generali, visitatore ac praeceptoribus inquirerent, tam contra ipsos, et singulares personas ipsius ordinis generaliter, quàm contra ipsum ordinem super praemissis, cum diligentiâ veritatem et quidquid super his invenirent nobis referre, ac eorum confessiones, et depositiones per manum publicam in

scriptis redactas nostro apostolatui deferre, ac praesentare curarent: eidem magistro, ac visitatori, et praeceptoribus beneficium absolutionis à sententia excommunicationis, quam pro praemissis, si vera essent, incurrerant, si absolutionem humiliter, ac devotè peterent ut debebant, juxta formam ecclesiae impensuri. Qui cardinales ad ipsos generalem magistrum, visitatorem, et praeceptores personaliter accedentes, eis sui adventus causam exposuerunt; et quoniam personae ipsorum, et aliorum templariorum in regno Franciae consistentium nobis traditae fuerant, quod liberè, absque metu cujusquam plenè ac purè super praemissis omnibus ipsis cardinalibus dicerent veritatem, eis auctoritate apostolica injunxerunt. Qui magister, visitator, et praeceptores terrae Normanniae, Ultramarinae, Aquitaniae, et Pictaviae coram ipsis tribus cardinalibus, praesentibus quatuor tabellionibus publicis, et multis aliis bonis viris ad sancta Dei evangelia ab eis corporaliter tacta praestito juramento, quod super praemissis omnibus meram, et plenam dicerent veritatem coram ipsis singulariter, liberè, ac spontè, absque coactione qualibet et terrore deposuerunt, et confessi fuerunt inter coetera Christi abnegationem, ac expuitionem super crucem cum in ordine templi recepti fuerunt. Et quidam ex eis se sub eadem forma, scilicet cum abnegatione Christi et expuitione super crucem, fratres multos etiam recepisse. Sunt etiam quidam ex eis quaedam alia horribilia, et inhonesta confessi, quae subticemus ad praesens. Dixerunt praeterea, et confessi fuerunt ea vera esse quae in eorum confessionibus, et depositionibus continentur, quas dudum fecerant coram inquisitore praefato. Quae confessiones, et depositiones dictorum generalis magistri, visitatoris, et praeceptorum in scripturam publicam per quatuor tabelliones publicos redactae in ipsorum magistri, visitatoris, et

praeceptorum, et quorundam aliorum bonorum virorum praesentia; ac deinde interposito aliquorum dierum spatio, coram ipsis eisdem lectae fuerunt de mandato et praesentiae cardinalium praedictorum, et in suo vulgari expositae cuilibet eorundem. Qui perseverantes in illis eas expressè, et spontè, prout recitatae fuerant, approbarunt. Et post confessiones, et depositiones hujusmodi, ab ipsis cardinalibus ab excommunicatione, quam pro praemissis incurrerant, absolutionem flexis genibus, manibusque complexis humiliter, et devotè, ac cum lacrymarum effusione non modicâ petierunt. Ipsi vero cardinales (quia ecclesia non claudit gremium redeunti) ab iisdem magistro, visitatore, et praeceptoribus haeresi abjurata, expressè ipsis secundum formam ecclesiae, auctoritate nostrâ absolutionis beneficium impenderunt, ac deinde ad nostram praesentiam redeuntes, confessiones, et depositiones praelibatorum magistri, visitatoris, et praeceptorum in scripturam publicam redactas per manus publicas, ut est dictum, nobis praesentarunt; et quae cum dictis magistro, visitatore, et praeceptoribus fecerant, retulerunt. Ex quibus confessionibus, et depositionibus, et relatione invenimus saepe fatum magistrum, visitatorem terrae Ultramarinae, Normanniae, Aquitaniae, et Pictaviae praeceptores in praemissis, et circa praemissa, licet quosdam ex eis in pluribus, et alios in paucioribus, graviter deliquisse.

Attendentes autem quod scelera tam horrenda transire incorrecta, absque omnipotentis Dei, et omnium catholicorum injuriâ, non poterant, nec debebant: decrevimus de fratrum nostrorum consilio, per ordinarios locorum, ac per alios fideles, ac sapientes viros ad hoc deputandos à nobis, contra singulares personas ipsius ordinis, nec non et contra dictum ordinem per certas discretas personas (quas) ad hoc duximus deputandas, super prae-

missis criminibus, et excessibus inquirendum. Post haec tam per ordinarios, quàm per deputatos à nobis contra singulares personas dicti ordinis, et per inquisitores, quos ad hoc duximus deputandos, contra ipsum ordinem per universas mundi partes, in quibus consueverint fratres dicti ordinis habitare, inquisitiones factae fuerunt, et illae quae factae contra ordinem praelibatum fuerant, ad nostrum examen remissae, quaedam per nos, et fratres nostros sanctae romanae ecclesiae cardinales, aliae verò per multos viros valdè litteratos, prudentes, fideles, Deum timentes, et fidei catholicae zelatores, et exercitatos, tam praelatos, quàm alios apud Malausanam Vacionensis dioces., fuerunt valdè diligenter lectae, et examinatae solerter.

Post quae dum venissemus Vienam, et essent jam quamplures patriarchae, archiepiscopi, episcopi electi, abbates exempti, et non exempti, et alii ecclesiarum praelati, nec non et procuratores absentium praelatorum, et capitulorum ibidem pro convocato à nobis concilio congregati, nos post primam sessionem, quam inibi cum dictis cardinalibus, et cum praefatis praelatis, et procuratoribus tenuimus, in qua causas convocationis concilii eisdem duximus exponendas, quia erat dificilè, immò ferè imposibile praefatos cardinales, et universos praelatos, et procuratores in praesenti concilio congregatos ad tractandum de modo procedendi super, et in facto, seu negotio fratrum ordinis praedictorum in nostrâ praesentiâ convenire, de mandato nostro ab universis praelatis, et procuratoribus in hoc concilio existentibus, certi patriarchae, archiepiscopi, episcopi, abbates exempti, et non exempti, et alii ecclesiarum praelati, et procuratores de universis christianitatis partibus quarumcumque linguarum, nationum, et regionum, qui de peritioribus, discretioribus, et idonei oribus ad consulendum in tali, et tanto negotio,

et ad tractandum unà nobiscum, et cum cardinalibus antedictis tam solemne factum, sive negotium credebantur electi concorditer, et assumpti fuerunt.

Post quae praefatas attestationes super inquisitionem ordinis praelibati receptas coram ipsis praelatis, et procuratoribus per plures dies, et quantum ipsi voluerunt audire, publicè legi fecimus in loco ad tenendum concilium deputato, videlicet in ecclesia cathedrali, et subsequenter per multos venerabiles fratres nostros, patriarcham Aquileiensem, archiepiscopos, et episcopos in praesenti sacro concilio existentes, electos, et deputatos ad hoc, per electos à toto concilio cum magna diligentia, et sollicitudine, non perfunctoriè, sed moratoriâ tratactione dictae attestationes, ac rubricae super his factae, visae, perlectae, et examinatae fuerunt. Praefatis itaque cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, abbatibus exemptis, et non exemptis et aliis praelatis, et procuratoribus, ab aliis, ut praemittitur, electis, propter praemissum negotium, in nostrâ praesentiâ constitutis, factâ per nos propositione, et consultatione secretâ qualiter esset in eodem negotio procedendum, praesertim cum quidam templarii ad defensionem ejusdem ordinis se offerrent, majori parti cardinalium, et toti fere concilio, illis, videlicet, qui à toto concilio, ut praemittitur, sunt electi, et quoad hoc vices totius concilii repraesentant, vel parti multo majori, quinimo quatuor, vel quinque partibus eorundem cujuscumque nationis in concilio existentium indubitatum videbatur, et ita dicti praelati, et procuratores sua concilia dederunt, quod ipsi ordini defensio dari deberet, et quod ipse ordo de haeresibus, de quibus inquisitum est contra ipsum, per ea quae hactenus sunt probata, absque offensâ Dei, et juris injuriâ condemnari nequeat. Aliis quibusdam è contra dicentibus dictos fratres non esse defensionem dic-

ti ordinis admittendos, nec nos dare debere defensionem eidem: si enim ut dicebant praemissi, ejusdem ordinis defensio admittatur, vel detur, ex hoc ipsius negotii periculum, et non modicum Terrae Sanctae subsidii detrimentum sequeretur, et altercatio, et retardatio, ac decissionis ipsius negotii dilatio; ad haec multas rationes et varias allegantes. Verum licet ex processibus habitis contra ordinem memoratum, ipse ut haereticalis per difinitivam sententiam canonicè condemnari non possit; quia tamen idem ordo de illis haeresibus, quae imponuntur eidem, est plurimum diffamatus, et quia quasi infinitae personae illius ordinis, inter quas sunt generalis magister, visitator Franciae, et majores praeceptores ipsius, per eorum confessiones spontaneas de praedictis haeresibus, erroribus, et sceleribus sunt convictae; quia etiam ipsae confessiones dictum ordinem reddunt valde suspectum; et quia infamia, et suspicio praelibatae dictum ordinem reddunt ecclesiae sanctae Dei, et praelatis ejusdem, ac regibus aliisque principibus, et coeteris catholicis, nimis abominabilem, et exosum; quia etiam verisimile creditur, quod amodo bona non reperiretur persona, quae dictum ordinem vellet intrare, propter quae ipse ordo ecclesiae Dei, ac prosecutioni negotii Terrae Sanctae, ad cujus servitium fuerant deputati, inutilis redderetur; quoniam insuper ex dilatione decissionis, seu ordinationis dicti negotii, ad quam faciendam, vel sententiam promulgandam terminus peremptorius fuerat in praesenti concilio praefatis ordini, et fratribus assignatus à nobis, bonorum templi quae dudum ad subsidium Terrae sanctae, et impugnationem inimicorum fidei christianae à Christi fidelibus data, legata, et concessa fuerunt, totalis amissio, destructio et dilapidatio, ut probabiliter creditur, sequeretur; inter eos qui dicunt ex nunc contra dictum ordinem pro dictis crimi-

nibus condemnationis sententiam promulgandam, et alios qui dicunt, ex processibus praehabitis contra dictum ordinem condemnationis sententiam jurè ferri non posse: longâ, et maturâ deliberatione praehabitâ, solum Deum habentes prae oculis, et ad utilitatem negotii Terrae Sanctae respectum habentes, non declinantes ad dexteram, vel sinistram, viam provisionis, et ordinationis duximus eligendam, per quam tollentur scandala, vitabuntur pericula, et bona conservabuntur subsidio Terrae Sanctae.

Considerantes itaque infamiam, suspicionem, clamosam insinuationem, et alia supradicta, quae contra ordinem faciunt supradictum, nec non et occultam, et clandestinam receptionem fratrum ipsius ordinis, diferentiamque multorum fratrum ejusdem à communi conversatione, vitâ, et moribus aliorum Christi fidelium, in eo maximè quod recipientes aliquos in fratres sui ordinis, receptos in ipsa receptione professionem emittere faciebant, et jurare modum receptionis nemini revelare, nec religionem illam exire; ex quibus contra eos praesumitur evidenter; attendentes insuper grave scandalum ex praedictis contra ordinem praelibatum subortum fuisse, quod non videretur posse sedari eodem ordine remanente, nec non et fidei et animarum pericula, et quamplurimorum fratrum dicti ordinis horribilia multa facta, et multas alias rationes justas, et causas, quae nostrum ad infra scripta movere animum rationabiliter, et debitè potuerunt; quia et majori parti dictorum cardinalium, et praedictorum à toto concilio electorum, plus quam quatuor, vel quinque partibus eorundem, visum est decentius, et expedientius, et utilius pro Dei honore, et pro conservatione fidei christianae, ac subsidio Terrae Sanctae, multisque aliis rationibus validis, sequendam fore potius viam ordinationis, et provisionis sedis apostolicae, ordinem sepe fatum tollendo, et

bona ad usum ad quem deputata fuerant applicando, de personis etiam ipsius ordinis, quae vivunt, salubriter providendo; quàm deffensionis juris observationes, et negotii prorogationis: animadvertentes quoque quod alias etiam sine culpa fratrum ecclesia romana fecit interdum alios ordines solemnes ex causis imcomparabiliter minoribus, quam sint praemissae, cessare: non sine cordis amaritudine, et dolore; non per modum difinitivae sententiae, sed per modum provisionis, seu ordinationis apostolicae, praefatum templi ordinem, et ejus statum, habitum, atque nomen irrefragabili, et perpetuo valiturâ tollimus sanctione, ac perpetuae prohibitioni subjicimus, sacro concilio approbante, districtius inhibentes, ne quis dictum ordinem de coetero intrare, vel ejus habitum suscipere, vel portare, aut pro templario gerere se praesumat. Quod siquis contra fecerit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto. Porro nos personas, et bona eadem nostrae, ac apostolicae sedis ordinationi, et dispositioni, quam gratia divina favente, ad Dei honorem, et exaltationem fidei christianae ac statum prosperum Terrae Sanctae facere intendimus, antequam praesens sacrum terminetur concilium, reservamus; inhibentes districtius ne quis cujuscumque conditionis, vel status existat, se de personis, vel bonis hujusmodi aliquatenus intromittat, vel circa ea in ordinationis, sive dispositionis nostrae per nos, ut praemittitur faciendae, praejudicium aliquod faciat, innovet, vel attentet. Decernentes ex nunc irritum, et inane si secus à quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Per hoc tamen processibus factis, vel faciendis circa singulares personas ipsorum templariorum per dioecesanos episcopos, et provinciália concilia (prout per nos alias extitit ordinatum) nolumus derogari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae ordinationis, pro-

visionis, constitutionis, et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Viennae XI. calendas Aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

VII.

Litterae apostolicae Clementis V. pontificis summi, citatoriae fratrum dicti quondam ordinis templariorum (a).

Clemens episcopus servus servorum Dei: ad certitudinem praesentium, et memoriam futurorum. Considerantes dudum inquisitiones, et processus varios de mandato sedis apostolicae per universas partes christianitatis contra ordinem quondam militiae templi, et contra singulares personas habitos, sive facto super haeresibus de quibus ipsi erant graviter infamati, et specialiter super eo quod fratres ejusdem quondam ordinis, dum in ipso recipiebantur ordine, ac interdum post receptionem eorum, Christum negare, et in ejus opprobrium super crucem sibi ostensam expuere, et eam interdum conculcare pedibus dicebantur; quod generalis magister ipsius ordinis, visitator Franciae, ac majores, ipsius ordinis praeceptores, nec non et quamplures fratres ejusdem in judicio confessi fuerunt de haeresibus supradictis; quodque ipsae confessiones dictum ordinem valdè suspectum reddebant: attendentes insuper infamiam divulgatam, suspicionem vehementem, nec non praelatorum, ducum, comitum, baronum, ac comunitatum regni Franciae insinuationem clamosam, grave quoque scandalum ex praedictis contra ordinem praelibatum subortum, quod non videbatur posse

(a) Ex archivo reg. Barcin. in regist. templariorum, fol. 35.

sedari eodem ordine remanente: animadvertentes multas alias justas rationes et causas, quae ad id nostrum moverunt animum, de quibus in processu super hoc habito continetur: cum gravi cordis amaritudine, ac dolore, non permodum difinitivae sententiae, cum eam super hoc secundum inquisitiones, et processus praedictos non possemus ferre de jure, sed per viam provisionis, et ordinationis apostolicae praefatum quondam templi ordinem, et ejus statum, habitum atque nomen sustulimus, removimus, et cassavimus, ac perpetuae prohibitioni subjecimus (sacro concilio approbante) personas, et bona ejusdem ordinis ordinationi, et dispositioni sedis apostolicae reservantes; per hoc tamen processibus factis, vel faciendis circa singulares personas aut fratres ejusdem quondam ordinis per diocesanos episcopos, et provincialia concilia, pro ut per nos alias extitit ordinatum, nolumus derogare.

Nunc igitur volentes circa singulares easdem personas, ac fratres plenius, sicut expedit, providere, fratres ipsos omnes (praeter magistrum quondam dicti ordinis, visitatorem Franciae, et Terrae Sanctae, Normanniae, et Aquitaniae, ac Pictaviae, et provinciae Provinciae magnos praeceptores, quos dudum dispositioni nostrae specialiter reservavimus, et fratrem Oliverium de Penna dicti quondam ordinis militem: quem ex nunc dispositioni sedis apostolicae reservamus) judicio, et dispositioni conciliorum provincialium sicut et hactenus fecimus, duximus relinquendos; volentes juxta diversitatem conditionum ipsorum, per eadem concilia cum eis procedi; videlicet, quod illi, qui sunt jam super dictis erroribus sententialiter absoluti, vel in posterum exigente justitia absolventur, de bonis praefati quondam ordinis, unde juxta status sui decentiam sustentari valeant, administretur. Circa eos autem, qui de praefatis erroribus sunt confessi, consideratis eo-

rum conditionibus, modoque confessionis eorum pensato, volumus à praefatis conciliis, prout eorum circunspectioni videbitur, rigorem justitiae cum afluenti misericordiâ mitigari. Circa impenitentes, et relapsos, si qui (quod Deus avertat) inventi fuerint, inter eos justitia, aut censura canonica observanda. Quo ad illos verò, qui etiam suppositi quaestionibus se praedictis esse involutos erroribus negaverint, per eadem concilia servari, et fieri volumus quod justum fuerit, et aequitas canonum suadebit. Eos autem cum quibus adhuc non est super dictis erroribus inquisitum, et qui sub manu, vel potestate ecclesiae non habentur, sed sunt forsitan fugitivi, sacri approbatione concilii, praesentium tenore citamus, ut à die praesenti infra annum, quem ad hoc eis pro termino praecisso, et peremptorio assignamus, coram dioecesanis suis curent personaliter comparere, subituri eorum examen prout justitia suadebit, ac secundum praedictorum conciliorum judicium pro meritis recepturi; magna tamen tam circa eos, quam circa alios supra expressos (praeterquam contra relapsos, et impenitentes) misericordia adhibita, et servata, et eo semper proviso, quod de bonis dicti quondam ordinis provideatur in necessariis tam istis, quam illis et etiam aliis omnibus ejusdem quondam ordinis fratribus, quandocumque ad ecclesiae obedientiam venerint, et quamdiu in obedientia eadem perstiterint, juxta status sui conditiones, et decentiam eorundem ipsis omnibus in domibus praefati quondam ordinis, aut in religiosorum aliorum monasteriis, ad expensas tamen ipsius quondam ordinis, juxta dictorum conciliorum arbitrium collocandis; ita tamen quod in unâ domo, unove monasterio nullatenus multi simul ponantur.

Mandamus etiam, et districtè praecipimus omnibus, apud quos, et per quos fratres praedicti quondam ordinis

detinentur, ut eos restituant liberè; et dimittant quotiescumque per metropolitanos, et ordinarios fratrum ipsorum fuerint super hoc requisiti. Quod si infra praefatum annum coram dioecesanis praedictis praemisso modo citati non curaverint, ut praemittitur, comparere, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant. Et quia in causâ praesertim fidei contumatia suspitioni praesumptionem addit vehementem; si sic contumaces excommunicationem praedictam per annum animo sustinuerint pertinaci, ex tunc velut haeretici condemnentur. Verùm hujusmodi nostrae citationis edictum, quod sic ideo ex certâ scientiâ facimus, et eo fratres praedictos citari sic volumus, ac si essent per speciales citatores personaliter apprehensi, quia et vagabundi nullatenus possent, aut saltem faciliter inveniri; ut contra citationis ejusdem processum omnis calumniae tollatur occasio, in praesenti sacro concilio publicamus; et ut ipsa talis citatio certius ad fratrum ipsorum, et communem omnium notitiam deducatur, cartas, sive membranas processum citationis hujusmodi continentes, bullaque nostra bullatas in majoris ecclesiae Viennensis appendi, vel affiigi ostiis faciemus, quae citationem hujusmodi suo quasi sonoro praeconio, et patulo judicio publicabunt; ita quod fratres praedicti quos citatio ipsa contingit, nullam possint excusationem praetendere, quod ad eos ipsa citatio non pervenerit, vel quod ignorarint eandem, cùm non sit verosimile remanere apud eos incognitum, vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Ceterum ut circa hoc cautela plenior observetur, dioecesanis locorum praecipimus, ut in suis cathedralibus, ac locorum insignium dioecesum suarum ecclesiis, hujusmodi nostrae citationis edictum cùm primum commode poterint faciant publicari. Datum Viennae pridie nonas Maii, pontificatus nostri anno septimo.

VIII.

Carta del rey de Aragon D. Jayme II á D. Dionis, rey de Portugal, sobre no ceder á las instancias del papa en órden á los bienes de los templarios (a).

Al muy noble et muy honrado Don Dionis por la gracia de Dios, rey de Portogal et del Algarbe, Don Jayme por aquella misma gracia rey d'Aragon &c. Salut &c. Rey hermano, fazemos vos saber que el rey de Castiella nos escrivió agora en razon de los bienes que la orden que era del Temple avie en nuestros senyorios, et fizo nos saber entre las otras cosas que sobre este fetxo fuessemos el, et vos, et nos unos a mantener nuestro derecho. E Don R. de Cardona otrossi nos dixo que avia ouido de vos sobre aquesta misma razon carta, en la qual li mandavedes que nos dixiesse de vuestra parte de como todos tres fuessemos unos a catar nuestro drecho. E nos ja nos lo toviemos por dicho, e nuestros mandaderos en la cort del papa aquella carrera tovieron. Et a vos assi plaçe qui si ffaza et que seamos todos unos a mantener nuestro dretcho con aquella reverencia que debemos. Et si mandaderos del papa, o carta ovieremos sobre esta raçon, luego vos lo faremos saber. Et vos tan bien si alguna ovieredes o mandado del papa, tan bien nos lo feyt saber. Et perque sabemos que vos plaçe oyr buenas nuevas de nos, facemos vos saber que por la gracia de Dios somos sanos nos et los infantes nuestros fijos. E rogamos vos que tota via nos fagades saber vuestra salut et buen estado, et de la muy noble reyna de Purtugal cara hermana nues-

(a) Arch. R. Harcia. regestr. templariorum, fol. 318.

tra, et del noble infante Don Alfonso fijo vuestro primogenito. Dada en Barcelona XII dias andados del mes de Julio en el aynno de nuestro Seynor mille CCC. et XII. =P. Martini Notarius regis.

IX.

Concordia entre D. Frey Martin Perez de Oros, castilla de Emposta y Frey Raymundo de Empurias, gran prior de Cataluña, sobre lo que cada uno debia pagar á los quondam templarios en su distrito. Fecha á X de las calendas de Diciembre año M.CCCXIX. en el lugar de Torreferrera de la Castellania de Menzon.

TEMPLERS QUI SON EN LA CASTELLANIA DE ZARAGOZA.

En Ramon Oliver tres mil. sol. Barchs.=
Aznar Cappella sexcentos solid.
Bonanat de Vaillebrera quingent. sol.
Sanxo de Garissa quingent. sol.
Suma quatuor mille sexcentos sol. Barchs.

ALFAMBRA.

Bernat Marti quingent. sol.
Johan Zugat quingent. sol.
P. Exemeni de Peralta mille et quadringentos sol. Barchs.
Suma duo mille et quadringentos solidos.

VALENCIA.

Romeu Togores mille quadringentos solid.
Ramon de Molina mille quadringentos soli

Bn. de Santleyr mille quadringentos sol.
G. de Vaylfagona quingent. sol.
Suma quatuor mille septingentos sol. Barchs.

ALBOCACER.

Bng. de Sant Marçal tria mill. sol.
R. de Sant Marçal mille quadringentos sol.
Bertholomeu Daguilar quingent. sol.
P. de Campredon quingent. sol.
P. de Toffita quingent. sol.
Suma quinque mille nongentos solidos Barchs.

LES COVES.

G. de Villalba tres mille sol.
Galbert Durban duo mille sol.
Michel Dalbaret quingent. sol.
P. de Tilla quingent. sol.
Suma sex mille sol. Barchs.

ORTA.

P. de Madetes quingentos sol.

GANDESA.

P. de Sent Just duo mille sol.
G. de Montornes mille quadrigentos sol.
Suma tria mill. nongentos sol. Barchs.

MONSO.

Bn. Bellisen mille sol.
Beng. Zatorbella quingent. sol.
P. de Brunes quingent. sol.
En Vistabella quingent. sol.
G. Zestret quingent. sol.
A. de Cabestayn.
G. de Castell quingent. sol.
Michel de Benavarre quingent. sol.
P. Negre quingent. sol.
Dominicus de Barbastre quingent. sol.
Don Salvador quingent. sol.
P. de Berbegal quingent. sol.
Michel de Novells quingent. sol.
Bn. Vidal quingent. sol.
Suma septem mille quingentos solidos Barchs.

OSCHA.

P. Garces tria mill. sol.
En Bardoyl quingent. sol.
G. Tigar quingent. sol.
Exemen de Brueta quingent. sol.
Aparici de Novelles quingent. sol.
Suma quinque mille sol. Barchs.

Suma major per tota la provisio dels templers quis paguen en tota la Castellania quadraginta mille sol. Barchs.

Aquest son los templers qui son en lo priorat de Cathaluña. Primerament en

GARDEYN.

Ramon Danglesola quatuor mille sol.
Bng. de Bellvis quatuor mille sol.

Bng. de Sent Just quatuor mille sol.
R. Dontiyenna duo mille sol.
En Millars mille quadringent. sol.
En Siscar mille quadringent. sol.
En Putgvert mille quadringent. sol.
En Munt Oliv. mille quadringent. sol.
Johan de Roses sexcentos solidos.
En Conflent quingentos solidos.
Martin Ruyl quingentos solidos.
Suma viginti unum mille ducentos solidos Barchs.

BARBENC.

Guerau de Copons mille quadring. sol.
Bernat Galçeran mille quadring. sol.
Suma duo mille octingentos solidos Barchinon.

GRANYENA.

Jacme Dolvia tria mille sol.
P. de Guardiola quingentos sol.
Suma tria millia quingentos solidos Barchinon.

BARBERA.

Dalmau de Timor quatuor mille solidos.
Dalmau de Rochaberti octo mille solidos.
Ar. de Baynuls tria millia sol.
Bertran de Villalonga mille quadringentos sol.
Bertran Zazirera mille quadringent. sol.
Beng. Pujol sexcentos sol.
Bn. Rovira quingentos sol.
P. Lobera mille sol.

Ramon de Sent Just mille quadringentos sol.
Bn. de Forges mille quadringentos sol.
P. Bonanat octingentos sol.
Suma viginti tres mille quingentos sol. Barcinon.

CELMA.

Bertholomeu de Villafrancha tres mille sol.
Avinyo mille quadringent. sol.
Suma quatuor mille quadringentos solidos Barchinon.

BARCELONA.

En Torrella mille sol.
Nadarro quingentos sol.
En Vilagranada mille et quadringentos sol.
Guillermus de Castell Bisbal duo mille sol.
Suma quatuor mille et nongentos solidos Barchinon.

AYGUAVIVA.

P. de Montcorp mille quadringentos sol.
En Meayla mille et quadringentos sol.
P. Suyner quingentos sol.
P. de Castello quingentos sol.
Jacme del Mas quingentos sol.
Suma quatuor mille trescentos solidos Barchinon.

TORTOSA.

G. Deslor mille quadringentos sol.
Bng. de Mearata mille quadringentos sol.
P. Comte quingentos sol.

R. de Sant Ipolit quingentos sol.
Bng. de Palau mille quadringentos sol.
Suma quinque mille ducentos solidos Barchinon.

LO MASDEU EN ROSSELLO.

R. Zaguardia septem mille sol.
Bng. Dolms duo mille sol.
G. de Tamarit mille quadringentos sol.
Bng. Dezcoyl mille quadringentos sol.
Jacme Box sexcentos sol.
G.de Sant Ipolit sexcentos sol.
G. Martorell sexcentos sol.
P. Belda sexcentos sol.
P. de Sent Arnach sexcentos sol.
Ar. Setember sexcentos sol.
F. Hoc sexcentos sol.
P. Servent sexcentos sol.
P.....sexcentos sol.
R. Des Carme sexcentos sol.
En Gili sexcentos sol.
G. Pelicer de Tarrats sexcentos sol.
Suma decem et novem mille solidos Barchinon.

MAYLORCHA.

Ar. Duyl de Molins duo mille sol.
G. de Muntanyanes mille quadringentos sol.
R. F. sexcentos sol.
Martin Pereç Doscha quingentos sol.
P. Martorell quingentos sol.
March Capeller quingentos sol.
P. Ermengol quingentos sol.

Bertran de Poblet quingentos sol.

G. Soler de Tornes Dargent, ço es per DC. qui valen feyt cambi ab Barchs. à XV. ents (decenas) septingentos quinquaginta sol. Barchinon.

Suma septem mille ducentos quinquaginta sol. Barchinon.

Suma de tots los templers quis paguen en lo priorat de Cathalunya nonaginta sex mille quinquaginta solidos Barchinon.

Suma major de tots los templers quis paguen en la Castellania de Emposta et en lo priorat de Cathalunya centum triginta sex mille quinquaginta sol. Barchinon.

APENDICE DE DOCUMENTOS.

CRONICON DURTUSENSE I (*a*).

En lo comensament del Mon entro la Nativitat de Deu hac M. et C. et LXXX. et XIX. anys.

De lo primer payre Adam entro a Noe ac dos M. et doscens LXXII. anys.

De Noe entro Abraham ac DCCCC. anys.

De Abraham entro a David ac DCCCC.XL. et VIII. anys.

De David entro la transmigracio de Babilonia ac D. et XII. anys.

De la transmigracio entro Jesu Xpt ac D. et IX. anys.

De la Nativitat de Deu tro la mort.....ac CCCC. anys.

Adam fo en infern quatremil, et CCC. et XXXII. anys, VII. jorns, et una hora et miga.

En lany mil, cent, menys I. prengueren chrestians Jerusalem.

En lany mil, cent y I. mori R. coms de Tolosa.

En lany mil, cent, nou, comensá la mayso de Sistel.

En lany mil, cent, catorce fo presa Mayorha.

En lany mil, cent XLVII. fo presa Almaria.

(*a*) Descripsimus ex codice membran. eccl. Dertus. Est autem vernaculo sermone, lemosino, ut vocant, conscriptum, quod ab aliquo hujus provintiae Tarraconensis exaratum indubiè probat; et id quidem, ut scripturâ palam fit, circa medium saec. XIV. Dum ergo alia de vero auctore non suppetunt argumenta, illud Dertusense appellare et possumus, et debemus. Cur autem erae computum auctor omiserit, ea abs dubio causa fuit, quod post annum 1350 scriberet, quum scilicet annos Nativitatis Christi in quibusliber scripturis notare jussit rex Aragon. Petrus eo nomine IV., erae supputatione penitus exclusâ.

En lany mil, cent XLVIII. fo presa Tortosa.

En lany mil, cent XLVIIII. fo presa Larida y Fraga.

En lany mil, cent LXX. tornet lo iorn nuyt.

En lany mil, cent LXXXVII. fo pres Jerusalem, et totes les ciutats, et la santa creus fo aportada, et la santa corona, et la lansa, et los clavels. Aquestes santes reliquies son a Paris.

En lany mil, cent XCI. lo rey Felip de Fransa, el rey Richart d'Englaterra passaren la mar.

En lany mil, cent XCI. mori R. Berenguer, coms de Proensa.

En lany mil, cent XCVI. mori lo rey Namfos d' Arago, et nomeniart Dona de Narbona.

En lany mil, cent XCVIII. mori Richart, rey d'Englaterra.

En lany mil CC. mori G. senyor de Monpastler.

En lany mil CCIV. fon pres Contestinoble.

En lany mil CCVII. nasquet Jacme, rey d'Arago.

En lany mil CCIX. fo destruit Bezes lo iorn de la Magdalena.

En lany mil CCXII. fo la bataya entre Mirmamolin, el rey de Castela, el rey de Navarra, et fo desbaratat, et presa Calatrava, et Ubeda.

En lany mil CCXII. mori Maria de Monpastler.

En lany mil CCXIX. pres lo rey de Fransa Demiata.

En lany de MCCXXVI. pres lo rey de Fransa Avinyo.

En lany MCCXXX. fo presa Maiorha.

En lany MCCXXXVIII. fo presa Valencia.

En lany MCCXXXIX. tornet dia nuy.

En lany MCCXL. mori R. Berenguer, coms de Provensa, payre de la regina de Fransa, et d'Englaterra.

En lany MCCXLVIII. pasech lo rey Lois.

En lany MCCXLVIII. perdech coms de Tolosa Sacera.

En lany MCCXLIX. pres lo rey de Fransa Sebilia.

En lany MCCXLIX. mori Frederich l'Emperayre.

En lany MCCL. mori Dona Blanca, regina de Fransa.

En lany MCCLIII. mori Tibant, rey de Navarra.

En lany MCCLIV. tornat Sant Lois doltra mar.

En lany MCCLXIII. fo pressa Murcia.

En lany MCCLXV. lo rey Carlos intret Anpolha.

En lany MCCLXVI. mori rey Magfre.

En lany MCCLXVI. mori Jacme, rey d'Arago.

En lany MCCLXX. fo la ost de Fransa a Tonis.

En lany MCCLXXXIV. ana lo rey de Fransa en Arago, et non torna.

En lany MCCXCI. fo destruit Acre.

En lany MCCC. fo lo perdo de Roma.

En lany MCCCI. valia un diner tres, et los torneses dargent foren cambiats.

En lany MCCCII. fo pres Bonifaci papa.

En lany MCCCIV. fo Climent V papa elet.

En lany MCCCVI. foren presos Jueus.

En lany MCCCVII. foren presos los templés.

En lany MCCCVIII. fo terratremol per lo mon.

En lany MCCCIX. mori Carlos de Pelha, et fo confermat lo rey Enrrich d'Elamanya emperayre de Roma fo coronat lo rey Robert, et sa muyler de Vinyo.

En lany MCCCXIV. mori l'Emperayre Anric, et anposinal I. presicador.

En lany MCCCXIV. mori rey Felip de Fransa.

En lany MCCCXIV. mori Climent V papa.

En lany MCCCXVI. pres lo rey Lois de Fransa per muyer Clemensa d'Ongria.

En lany MCCCXVI. fo perdut en Gilradenolar Otho....

En lany MCCCXVI. torneren los Jueus....de MD. diables.

En lany MCCCXVI. morí rey Lois de Fransa, et de Navarra.

En lany MCCCXVI. fo Johan XXII. papa.

En lany MCCCXVI. nesquet Johan, rey de Fransa, et de Navarra, et aquell any morí.

En lany MCCCXVI. fo Felip, rey de Fransa, payre del rey Lois.

En lany MCCCXVII. fo escorxat, et cremat labesche de Caorcs en Avinyo.

En lany MCCCXX. fo la mort dels Jueus a Tolosa.

En lany MCCCXXIII. fo lo dia de la mayre de Deu de Marz lo iorn del divendres sant.

Cronicon Dertusense II (a).

Era M.C.XXXV. anno M.XC.VII. capta est Oscha à Petro Sancio rege Aragon.

Anno M.XC.VIII. XII. kal. Aprilis domus Sistercíensis facta est abbacia.

Era M.C.XXXVI. anno M.XC.VIII. obiit Fulco, episcopus Barchinon., et Berengarius, archiepiscopus Tarrachonae. Jerusalem capta est à Francis. In hoc anno B. Bisuldinen. comes perjurus, et munere cecatus expulit à monasterio S. Johannis canonicos regulares, à romano pontifice canonicè introductos, et per peccuniam in loco eorum intromisit quasdam Massilien. mulieres (b).

(a) *Ex alio codice membr. ejusd. eccl. Dertusensis.* Quo etiam nomine illud insignivimus, quamquam, ut infra patebit, ab eo qui res monasterii S. Joannis Rivipullensis, vulgò *San Juan de las Abadesas*, maximè cordi habebat, compactum videatur.

(b) Ex hoc et aliis articulis

Anno Domini M.C.XXVIII. ab incarnato Dei filio inventa est religio domus militiae Templi.

Era M.C.XL.II. anno M.C.III. obiit Petrus, rex Aragon.

Era M.C.XL.VI. anno M.C.VIII. obiit Philippus rex.

Era M.C.XL.VII. anno M.C.VIIII. obiit rex Ildephonsus.

Era M.C.XL.VIII. anno M.C.VIIII. obiit A. Eneus (f. *Enecus*) episcopus Ausonen., et B. episcopus Gerundae.

Era M.C.XL.VIIII. anno M.C.X. obiit Bernardus comes Bisulduinensis (*a*).

Era M.C.LIII. anno M.C.XV. monasterium S. Johannis redditum est canonicis regularibus per manum domini papae Paschasii, et capta est Majorica civitas à Raymundo, comite Barchinonae, et Pisanis: pro hoc irati Mosbiti, et multi ex eis perierunt in loco qui dicitur Martorel.

Era M.C.LVI. anno M.C.XVIII. obiit papa Paschasius, et capta est Caesaraugusta civitas.

Era M.C.LXII. anno M.C.XXIIII. obiit papa Calixtus. Hoc anno ante castrum Cosbins multi christianorum perierunt.

quibus res monasterii S. Johannis Rivipullensis complectitur, non injuria hujus chronici auctorem diceremus canonicum aliquem illius ecclesiae.

(*a*) In hoc et praecedenti articulo eum computandi morem sequutus videtur auctor, qui in dioecesi Elnensi aliquando obtinuisse fertur, mutandi scilicet enarrationis indictionis VIII. cal. Octobris, quamadmodum observavit D. Antonius Campillo et Matheu in sua *Disquisitione methodi* &c. Aliter enim fieri non poterat, ut qui in hoc chronico erant Hispanicam integris 38 annis erat christianae perpetuo praepositi, in hoc duplici articulo 139 annis illam antèire fecerit. Nisi forte mendum scribenti irrepsit.

Era M.C.LXVIII. anno M.C.XXX. Clarimontis concilium.

Era M.C.LXVIIII. anno M.C.XXXI. obiit R. comes Barchinonae.

Era M.C.LXXII. anno M.C.XXXIIII. obiit Ildephonsus, rex Aragonae apud Fragam, et Centulus de Biarn., et Aimericus Narbon., et multi alii christiani perierunt. Hic mirabilis sarracenorum debellator nituit, et Caesaraugustam urbem opinatissimam, et civitatem Tirasonam, et mirabile oppidum Tudelam cepit, et alia oppida pleraque, quae in regno suo arguescunt.

Era M.C.LXXIIII. anno M.C.XXXVI. Pisanum concilium. Obiit Lodonicus rex.

Era M.C.LXXV. anno M.C.XXXVII. obiit Ollegarius, archiepiscopus Tarrachonae, et episcopus Barchinonae, et B. qui fuit abbas Sancti Johanis.

Era M.C.LXXVII. anno M.C.XXXIX. comes Barchinonae Remundus suscepit regnum Aragon., et Lodonicus rex obiit.

Era M.C.LXXXII. anno M.C.XLIIII. Gregorius archiepiscopus Tarraconae, et B. comes provinciae occisus est.

Era M.C.LXXXV. anno M.C.XLVII. kalendis Novembris capta est Almeria.

Era M.C.LXXXVI. anno M.C.XLVIII. tertio kalendas Januarii capta est Dertusa.

Era M.C.LXXXVII. anno M.C.XLVIIII. nono kalendas Novembris captae sunt civitates Ilerdae, et Fraguae.

Era M.C.LXXXVIII. anno M.C.XLIII (*certe 1150*) nonas Novembris Dedicatio S. Johannis.

Era M.C.XCI. anno M.C.LIII. Ascalona à rege Jerosolymitano, et Siurana à R. comite captae sunt.

Anno M.C.LIII. VII. idus Septembris domus Populeti facta est abbacia.

Era M.C.XCII. anno M.C.LIII. (LIIII.) in mense Martio natus est Ildephonsus rex.

Era M.C.XCV. anno M.C.LVII. obit Ildephonsus, imperator Castellae, et totius Ispaniae.

Era M.C.XCVI. anno M.C.LVIII. obiit Sancius rex.

Era M.CC. anno M.C.LXII. obiit Remundus Berengarii, comes Barchinonae.

Era M.CC. prima, anno M.C.LXIII. obiit B. archiepiscopus Tarrachonae. Concilium Turonense.

Era M.CC.III. anno M.C.LXV. obiit Gaufredus primus episcopus Dertusae.

Era M.CC.VIIII. anno M.C.LXXI. Ugo, Tarraconensis archiepiscopus interfectus est. Et eodem anno passus est beatus Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, IIII. kalendas Januarii, feria III., hora quasi XI.

Era M.CC.X. anno M.C.LXXII. magna fames in terra.

Era M.CC.XIIII. anno M.C.LXXVI. multi viderunt sanguinem pluere in termino Cervariae, et in aliis locis; et mense Novembris dedicata fuit ecclesia Dertusensis.

Era M.CC.XVI. anno M.C.LXXVIII. idus Septembris sol in tenebris conversus est: in mense Julio et rex Petrus natus est.

Era M.CC.XVII. anno M.C.LXXIX. Romanum concilium celebratum est sub Alexandro papa M.C.XXXIII. episcoporum.

Era M.CC.XIX. anno M.C.LXXXI. Berengarius comes Provinciae interfectus est à Sicardo de Muro vetulo injustè.

Era M.CC.XXII. anno M.C.LXXXIIII. obiit Er-

mengaudus, comes Urgelli, Castellanensis interfectus est.

Era M.CC.XXV. anno M.C.LXXXVII. capta est civitas Jerusalem, et totum regnum subjugatum est à rege Damasceno, Saladin nomine.

Era M.CC.XXVII. anno M.C.LXXXIX. VI. kalendas Martii ignis de coelo visus est per multa loca.

Era M.CC.XXXI. anno M.C.XCIII. obiit Pontius Dertusensis episcopus, et B. Tarraconensis archiepiscopus interfectus est à Guillermo Raymundi de Monte Chatano.

Era M.CC.XXXIIII. anno M.C.XCVI. obiit *Ildephonsus* nobilis rex Aragonen.

Era M.CC.XL. anno M.C.LII. factus est terraemotus magnus in partibus Jerosolymitanis, et tota terra ferè periclitata est.

Era M.CC.XLIIII. anno M.CC.VI. IIII. nonas Februarii natus est Jacobus, rex Aragon. filius regis Petri.

Era M.CC.XLVI. anno M.CC.VIII. obiit domina Sancia regina nobilis Aragonen.

Era M.CC.XLVII. anno M.CC.VIIII. gens catholica venit contra haereticos in partibus Biteris, et Carcassonae, et in mense Julio capta est Biteris, in qua interfecti sunt plusquam XXV. millia haereticorum; continuò ab eisdem mense Augusto capta est Carcassona, et quamplurima oppida haereticorum.

Era M.CC.XLVIII. anno M.CC.X. captum est Castrum Habibi (vel *Habiln.*) à rege, VIII. die post Assumptionem beatae Mariae.

Chronicon alterum Rivipullense (*a*).

Era.	*A. C.*	
LXVI.	27.	Pontius Pilatus Judaeam procurat.
LXVIIII.	31.	Joannes Baptista decollatur.
LXXI.	33.	Christus passus est et resurrexit, et Jacobus Apostolus decollatur.
LXXVII.	39.	Tiberius moritur, et Cajus Caligula regnat.
LXXVIII.	40.	Mathaeus evangelium scribit.
LXXXI.	43.	Claudius regnat.
LXXXII.	44.	Petrus Romam venit.
LXXXIII.	45.	Claudius....Apostolus Romam venit.
	47.	Marcus evangelium scribit.
		Lucas evangelium scribit.
	52.	Fuit mortuus Octavianus LVI. annorum.
	54.	Tiberius filius ejus regnat.
	70.	Petrus et Paulus passi sunt Romae.
	71.	Galba.....regnat.
	72.	Vespasianus regnat.
	73.	Jerosolyma civitas subvertitur, judaei et venunduntur.
	81.	Claudius regnat.
	82.	Titus regnat. Hic pius et facundus fuit.
	84.	Domitianus regnat. Hic secundus post Neronem christianos persequitur.
	98.	Joannes in Patmos relegatus, Apocalipsim scribit.
	99.	Nerva regnat.

(*a*) *Ex MSS. codd. monast. Rivipull.*

A. C.

100. Joannes Apostolus assumptus est, Trajanus regnat.
108. Passus est S. Ignatius.
119. Passi sunt Sapientie et Eleuterius episcopi. Helius Adrianus regnat.
140. Antonius Pius regnat.
222. Passi sunt Sancti Primitivus et Facundus.
228. Passa est Sancta Cecilia.
228. Passi sunt S. Tirsus, Sistus, Laurentius, Ypolitus, Xipophorus.
275. Passa est Sancta Columba.
287. Passi sunt Crisantus et Daria.
291. Passus est S. Georgius.
300. Passus est S. Romanus.
308. Passi sunt Vincentius, Felix, Eulalia, Agnes, Justus et Pastor, Eulalia, Cosmas, Damianus.
359. Jeronimus transtulit cronica Eusebii.
386. Ob. S. Ambrosius episcopus.
390. Ob. S. Jeronimus apud Behelem.
508. Translatio S. Martini.
509. Ob. S. Benedictus.
526. Inventio Basilicae S. Michaelis Arcangeli.
581. Passus est S. Eudaldus.
589. Ob. S. Gregorii.
602. Ob. S. Isidori episcopi Ispalensis.
707. Sema rex cum sarracenis in Hispania ingressus est.
714. Karolus vetulus regnat.
745. Sema rex sarracenorum Nu.
737. Obiit Karolus. Pipinus filius ejus regnat.
762. Obiit Pipinus pater Karoli imperatoris.
767. Ob. dc Karoli imperator.
785. Gerundam civitatem homines tradiderunt regi Ka-

A. C.

rolo. Et multi viderunt sanguinem pluere: et mortalitas magna secuta est. Aparuerunt acies in coelo, et signum ✠ in vestimentis hominum.

801. Introivit Ludovicus in Barchinona, filius praelibati Karoli, et tulit civitatem sarracenis.
813. Obiit Karolus.
814. Leuduvicus filius ejus.
831. Obiit Sanctus Benedictus Anianensis.
837. Obiit Leuduvicus rex.
838. Leutarius regnat.
839. Hic moritur.
840. Karolus ejus frater regnat.
855. Translatio S. Vincentii Martyris.
868. Ob. Karolus.
869. Ludovicus filius ejus regnat.
874. Obitus ejus.
875. Karloman regnat.
880. Ob. Karolus.
881. Karolus Debaugr regnat.
882. His diebus erat Daginus abbas Rivipullo.
883. Hic obiit (nempe *Karolus*).
884. Oto regnat.
888. Prima Dedicatio nostri Caenobii sub Dagino abbáte à Gifredo comite (*id recentiori manu notatum*).
893. Obiit Oto.
894. Karolus filius Ludovici regnat.
912. Ob. Wifredi comitis bonae memoriae, cujus pater quiescit in cenobio S. Mariae Rivipuli.
925. Obiit Karolus.
926. Passus est S. Pelagius.
928. Ob. Miro com. filius Wifredi com.

A. C.

933. Ob. Ra.

934. Ludovicus regnat.

935. In isto anno fuit II. Dedicatio hujus cenobii temporibus Suniarii comitis, et Enegonis abb. (*ex recent. manu*).

o o

940. In ipso anno XIIII. kalendas, feria VI. obscuratus est sol, et facta est nox, et aparuerunt *stellae*, et fuit inter horam I. et III. luna XXVIIII. Obiit Carulus rex.

950. Seniofredus comes fuit.

954. Dedicatio Kaxani S. Germani. Leutaurius regnat.

966. Edificatio S. Michaelis basilicae apud Coxanum. Obitum Seniofredi comitis filii Mironis comitis.

970. Ob. Arnulfus abbas (*recent. manu*).

978. Adventus S. Eudaldi. Dedicatio hujus ecclesiae (*rec. manu*).

979. Ob. Guidisclus abbas (*rec. manu*).

984. Obitum Mironis episcopi, filii Mironis comitis.

985. Capta fuit Barchinona à sarracenis, (*Haec, et quae sequuntur recentiori manu notata sunt*).

986. Ob. Leutarius rex.

987. Obiit Ludovicus rex.

990. Obiit Olibanus Capreta comes.

993. Obitum Borrelli comitis Barchinona.

1002. Oliba comes factus est monachus.

1003. Factum est praelium Albesae cum sarracenis.

1009. Obiit Seniofredus abba Rivipl.

1010. Ob. Ermengaudus comes Urgelli.

1017. Ob. Raymundus comes Barch.

1020. Ob. Bernardus comes.

A. C.

1031. Ob. Rodobertus rex.
1034. Ob. Berengarius comes Barch., et Sancius rex Castellae.
1037. Ob. Ermengaudus comes Urgell.
1038. Dedicatio S. Petri de Vico, et S. M. gr. Ob. Ermengaudus comes Urgell.
1040. Dedicatio S. Mariae Virg., et ob. Eriballus episcopus.
1047. Ob. Oliba episcopus.
1052. Ob. Guillelmus comes Bisull.
1054. Ob. Guifredus episcopus S....Garsias rex interfectus.
1058. Adventus S. Justi et Pastoris Narbonae.
1060. Ob. Enricus rex. Successit Philipus.
1063. Ob. Ranimirus rex, et fuit captum castrum dasens ✠. Capta fuit civitas Jerusalem à christianis mense Augusti.
1065. Capta fuit civitas Barbastri.
1065. Interfectus est Ermengaudus comes Urgell. et ob. Fredinandus rex.
1068. Ob. Guillelmus abbas Rivipulli, et Raymundus comes Cerritaniae.
1071. Abbas Massil. Bernardus accepit Ripull. cenobium.
1075. Ob. Guillelmus episcopus Urgell.
1076. Ob. Raymundus comes Barchinon.
1079. Ob. Guifredus archiep. Narbon., et Bernardus abba Masill.
1082. Raymundus comes occissus.
1083. Cenobium S. Joannis redditur monachis.
1085. Ob. Gregorius papa.

1086. Ob. Andraeas abbas.
1087. Arabes venerunt in Ispania. Translatio S. Nicolai episcopi in Barim.
1092. Obiit Ermengaudus comes Urgell. obiit Bernardus episcopus Urgell.
1094. Ob. Sancius rex; et fuit fames magna in toto mundo.
1095. Ob. Guillelmus comes Ceritaniae. Bertrandus episcopus Berc. et Dalm.
1096. Concilium Urbani papae.
1097. Ob. Salomon monachus et episcopus. Osca civitas capta est.
1098. Ob. Frotardus abbas S. Poncii. Fulchoni Barchin., et Berengarius archiepiscopus Tarragon.
1101. Terremotus Februarii VI. id.
1102. Ob. Bernardus abbas Riopol.
1106. Ob. Aianricus rex Alamania.
1107. Ob. Benedic. abbas Rivipull.
1109. Ob. Aldephonsus rex Ispaniae, et Philipus rex.
1110. Ob. Arnallus episcopus Vici.
1111. Ob. Gaudfredus abbas. Ob. Bernardus comes Bisul.
1112. Raymundus episcopus Gerundae.
1113. Hoc anno intravit comes Raymundus cum Pisis Majoricas. Pisani magna vi navium Hispania intrant.
1114. Raymundus episcopus Barch. obiit. Monasterium S. Joannis redditur clericis. Devotae inde subducuntur.
1117. Ob. Bernardus comes Ceritaniae.
1118. Caesaraugusta capta est à rege Aragonense.
1119. Gelasius papa obiit.

A. C.

1121. Ricardus archiepiscopus Narbonae.
1130. Honorius papa.
1131. Ob. Raymundus comes Barchin. Hic sepultus est.
1134. Ob. Aliphonsus rex Aragonensis.
1137. Ob. Ollegarius archiepiscopus.
1139. Raymundus comes Barchinonensium suscepit regnum Aragonensium.
1140. Comiti Barchin. provinciae ducatus datur, et Bisulduni comitatus, et regi Aragon. imperium Tolete. Papa romanus ab Leniannico imperatore captus dolo incaute, pro dolor! non observanda jurat. Raymundus dux provinciae et comes Barchin. cum Pisis Majoricas intrat. Moabitae indignati hujus rei causa Barchinonam venerunt: à Cervaria usque ad praefatam civitatem cuncta perderunt, et vastarunt. Post hoc de à paucis devicti praelio occiduntur in loco qui dicitur Martorell.
1143. Ob. Petrus episcopus Urgell. et Innoc. papa II. ob. Celestinus papa II. et Arnallus episcopus Barchin. et Guifredus episcopus Rotensis.
1144. Obiit Lucius papa, et Gregorius archiepiscopus Terragon. et abbas Cuxanensis: et Berengarius Raymundi comes provinciae occissus est.
1145. Ob. Raymundus Ausonens. episcopus, et Berengarius Gerundensis.
1147. Almeria capta est.
1148. Tortosa capta est à Raymundo comite et à Jenuensibus.
1149. Hilerda capta est ab eodem R., et Frago uno die VIIII. kal. Octobr.

1152. Factus est terraemotus ante primam luna VI.... captae sunt; et terraemotus per II. dies factus est omni hora VI....IL id. et III. idus Decembris.
1153. Ob. Eugenius papa III. et Poncius comes Empuriarum est.
1154. Ob. Ermengaudus comes in Castella.
1155. Ob. Anastasius papa IIII.
1157. Ob. Ildephonsus imperator Yspaniarum.
1158. Ob. Sancius rex puer filius Ildephonsi praedicti.
1159. Ob. Adrianus papa IIII.
1160. Ob. Berengarius Gerundens. episcopus.
1161. Luna obscurata est, et sanguinea visa est II. idus....
1162. Hoc anno inclitus Marchio Raym. Berengarius, comes Barchin., princeps Aragonum, et dux provinciae, apud vicum S. Dalmacii....Claruit miraculis. Requiescit Rivipulli.
1168. Ob. Guillelmus episcopus Gerundens. et Gauzfredus abbas Rivipulli bonae memoriae.
1171. Artallus episcopus Elenens. Thomas archiep. sub rege Angliae occissus est.
1172. Ugo archiep. Terragonen.
1173. Ugo Impuriensis comes, et....comes Rusilionis. R'. abbas.
1174. R. Fulconis occissus est.
1176. Guillelmus Terracon. archieps.
1177. Hoc anno multi viderunt....terminum Cervariae.
1178. Guillermus Petri Alordensis episcop.
1179. Concilium Alexandri papae M.C.XXIII. eporum.
1180. Ludovicus Junior.
1181. Raymundus comes. Alexander papa.
1183. Petrus episcop. Caesaraug.

A. C.

1184. Ermengaudus comes. Gaucerandus de Sales.
1185. Petrus Ausonens. episcop. et Lucius papa.
1186. Guillelmus Helenensis episcopus, et Stephanus episcopus Oscensis.
1187. Hoc anno fuit capta terra Jerosolimorum à sarracenis. Urbanus papa; post hunc Gregorius papa.
1188. Bernardus episcopus Barchin.
1191. Clemens papa III. = Capta Salandino fuit anno crux sacra trino. = Res polus orrendas dat mercurii VI. kalendas.

Hucusque chronicon, quamquam dispositae computorum tabulae conspiciantur usque ad eram 2051. annum scilicet Christi 2013.

Dotatio prima ecclesiae Dertusensis, facta à Raymundo Berengarii, comite Barchinonensi.

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA EX CARTA AUTOG. MEMBR. IN ARCH. ECCL. DERTUS.

MONITUM.

„Scias, lector, oportet, Gelasium papam II litteris ad S. Oldegarium Tarraconensem archiepiscopum datis anno 1118 statuisse, ut cum Dertosa urbs è maurorum manibus, dante Deo, eriperetur, eam velut suburbanam parrochiam Tarraconensis ecclesia possideret, donec metropolis illa pristinas vires et splendorem recuperaret. Cùm autem id contigit armis et potentiâ Raymundi Berengarii, comitis Barchinonensis; statim Dertusensis ecclesia, decimae et jura Bernardo Tarraconensi archiepiscopo datae

sunt, quem praesens instrumentum Dertusensem episcopum vocat, idque *concessione romani pontificis*. Statim, inquam, nempe anno 1148, eodem quo capta est Dertosa, vel ut plurimum, et ut nos quidem arbitramur, tribus prioribus mensibus anni sequentis, in quibus juxta morem illius temporis perdurabat annus ab Incarnatione 1148 ad usque 25 diem Martii. Numquam enim Raymundus seipsum Dertosae Marchionem dixit, nisi post occupatam eam urbem, quod postremâ die Decemb. anni 1148 accidit. Ab eo ergo tempore usque ad annum 1151 quo consecratus est Gaufredus primus Dertosae episcopus, remansit haec ecclesiae Tarraconensi subdita velut suburbana parrochia. Quod ideo monuimus, quoniam historici plures, praesentis cartae notitiâ carentes, praedictum Dertusensis ecclesiae parrochialem statum negaverunt."

Quoniam ad celsitudinem principum specialiter spectare videtur de temporalibus bonis, quae divina clementia temporaliter illis habenda concedit, ecclesiam Dei dotare, atque honorificè ditare; idcirco ego R. Berengarii, Barchinonensium comes, Aragonensium ac Dertosae princeps et Marchio, concedo Domino Deo, et ecclesiae sanctae Dei Genetricis Mariae, quae condam apud Dertosam celebris sedes pontificalis fuit habita, et erit deinceps divinâ praestante clementiâ; et tibi, Bernarde, Tarraconensis archiepiscope, ejusdemque civitatis Dertosae, concessione romani pontificis, episcope, tuisque successoribus episcopis, in eadem civitate Dertosâ substituendis, omnes decimationes, et primitias christianorum habi tantium et

laborantium in territorio totius episcopatus Dertuosae, et omnes decimationes decimarum sarracenorum habitantium et laborantium in omni episcopatu Dertosae. Praeter hoc concedimus supradictae ecclesiae, et tibi omnia praedia, et possessiones quae major meschida sarracenorum ejusdem civitatis hactenus habuit; et II. furnos in eadem civitate, unum ad opus canonicorum, et alterum ad mensam pontificis.=Anno ab Incarnatione Domini M.C.XLVIII.

Sig+num Raymundi comes.

Sig+num Guillelmi Raymundi Dapiferi.

Sig+num Geraldi de Rupiano.

Sig+num Otonis.

Sig+num Raymundi de Podio alto.

Sig+num Bertrandi de Merola.

Sig+num Guillelmi de Castro vetulo.

Sig+num Arberti fratris ejus.

Sig+num Bernardi de Castelleto.

Bernaldus Vieja, qui hoc rogatus scripsit die annoque praefixo.

Donatio loci Vallis clarae, qui prius dicebatur Abincabacer, *facta à Raymundo Berengarii, comite Barch. abbati et monasterio Montis Flabonis* (*).

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

In nomine Dei Patris omnipotentis. Ego Raymundus (**), comes Barchinonensis, princeps Aragonensis, et Tortosae

(*) Fundatum fuit monasterium hoc Flabonis montis (*Flabemont*) in dioecesi Tullensi (*de Toul*) in Galliâ Belgicâ anno 1132 à Widone de Acrimonte, comprobantibus Hugone comite Vadani-montis et Adelinâ de Burgundiâ ejus uxore, à quibus ipse Wido locum in foedum tenebat. Posita haec abbatia, filia Bellae-vallis in Argona, mater et ipsa Bonifageti et Stivagii, duabus ab oppido Marchia, totidemque à thermis Borbonae leucis, lepidum in agro feracissimo situm habet. Quieti ac paci novorum indigenarum providendi gratia Henricus Tullensis episcopus anno 1140 sancivit, ut tam illis quàm eorum posteris res indultae, perpetuò firmae et inconvulsae remanerent. Largitus quidem est anno 1161 quidquid juris habebat in ecclesiâ S. Juliani, infra cujus terminos est abbatia: dedit insuper anno sequenti ejusdem ecclesiae decimas. Pluribus summis pontificibus, scilicet Eugenio III, Clementi III et Honorio III privilegia huic monasterio concedere, bonaque confirmare placuit. Plures etiam alii Tullenses pontifices, nempe Petrus de Brixeio, Odo de Vadano-monte, Reginaldus de Senlis, Thomas de Bourlemont beneficentiae suae eximia specimina exhibuerunt. Horum ceterorumque benefactorum chartas et privilegia publici juris fecit abbas Stivagii *Annal. t. I. prob. col. DXLVI. et seq.* V. Gallia Christ. t. XIII. col. 1133. seq.

(**) Post Ranimirum monachum, finitâ serie Aragoniae regum, qui ab Eneco Aristâ per viros descenderant, ad Petronilam Ranimiri filiam jus regni devenit, uxorem hujus Raymundi Berengarii, comitis Barchinonensis, qui Aragonum non rex, sed princeps quoad vixit vocatus est, cum Petronila reginae nomen et dignitatem retinuerit. V. Zurit. *Annal. lib. II. cap. I.*

marchio, ob remissionem meorum peccaminum, et salutem animae meae, et parentum meorum, dono et offero Domino Deo, et sanctae religioni, et ordini de praemonstr., et ipsi cenobio Sanctae Mariae Flaboni Montis, atque ipsius abbati venerabili Stephano (*), fratribusque ibidem Deo servientibus, praesentibus et futuris, locum ipsum qui antea dicebatur *Abincabacer*, nomine meo, et jussu et consensu Domini Raymundi Berengarii, comitis Barchinon., regnique principis Aragonensis, et gloriossimi *nitoris* Ispaniae, vallem claram, decimas cum omni termino, honore, et circuitu eidem loco pertinentibus. Praedictam verò donationem pro mea devotione facio, ut praedicti cenobii fratres construant et aedificent ibi in honore Dei ecclesiam et abbatiam, et cum beneficio meo, et aliorum bonorum hominum; et ibidem oratoria et *loca* sanctissima construant pro servitio Dei, et fidelium animarum salute. Et monasterium quod fuerit ibi aedificatum, habeat et possideat praedictum locum cum omni-

(*) Stephanus hic eductae è Bella-valle coloniae à Philippo abbate datus est dux et pater. Hic ab Henrico Tullensi episcopo res monasterii ratas haberi sategit ann. 1140. Obtinuit ann. 1148 ab Eugenio III collatarum possessionum approbationem. Parochialem ecclesiam S. Juliani, in qua sita est abbatia, ann. 1161 consecutus est à praefato Henrico praesule, qui postero anno decimas ejusdem ecclesiae, à Petro milite S. Juliani traditas, ex intuitu duarum ipsius proneptum, quae apud Flabonis-montem religionis susceperant habitum, episcopali auctoritate fulsit. Ab ipso enim monasterii exordio in vicino parthenone Deo se consecrarunt tot virgines, ut aedes ampliare necessum fuerit. Praedia banni *Xersel* partim pretio comparata, partim est liberalitate Theodorici de S. Elpidio accepta, episcopali auctoritate monasterio adnecti curavit ann. 1179. Haec et alia ejus gesta narrant scriptores Galliae-christianae (*loc. laud. col. 1134.*). Extremum diem obiit ann. 1180 clarus meritis.

bus suis pertinentibus haereditario jure....ad fidelitatem et servitium Dei in saecula saeculorum. Si qua autem persona praesentem donationem infringere, vel disrumpere temptaverit, nil proficiat, sed duplâ compositione solutâ, iram Dei incurrat, et in inferno inferiori cum Judâ traditore damnatus perpetuae subjaceat morti. Et haec donatio insuper omni tempore firma stabilisque permaneat. Facta carta VII. calend. Maii, stante domno Raymundo comite jam dicto in Podio de Garden cum militiâ suâ in obsidione Ilerdae, anno Dominicae Incarnationis M.C.XLVIIII. in praesentiâ subscriptorum hoc videntium et audientium.

Sig✠num Raymundi comes.
Sig✠num Bernardi Tarrach. archiepiscopi.
Sig✠num Guillelmi Raymundi Dapiferi.
Sig✠num Bernardi de Bello loco.
Sig✠num Raymundi de Podio alto.
Sig✠num A. Mironis comitis Palearensis.
Sig✠num Pontii Scriptoris.
Sig✠num Guillelmi de Castro vetulo.
Sig✠num Nathalis subdiachoni, qui jussu Domini comitis hoc scripsit.

Magistri ordinis hospitalis S. Johannis in Jerusalem, ad fratres suos Dertusae residentes, epistola, quâ eos ad servanda episcopo Dertusensi jura hortatur (a).

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

R. pauperum Christi hospitalis Jerusalem humilis minister, P. Umberti, et ceteris fratribus, qui cum eo sunt cle-

(a) Hujus epistolae nec autographum, nec integrum exemplar nacti sumus: quoniam autem plura alia instrumenta su-

ricis, et conversis, salutem in Christo. De oratorio S. Johannis de Campo, et Cimitèrio, quae prope Tortosam habemus, per obedientiam vobis mandamus, ut quod archiepiscopus Tarrachonens. et comes Barchinonens. et G. Raymundi Dapifer, vel duo ex istis simplici testimonio vobis faciendum esse dixerint vel verbo, vel scripto, vos inde sine cunctatione faciatis. Praeterea parrochianis episcopi poenitentiam non detis, nec excommunicatos suos vivos aut mortuos recipiatis. Quòd si quis excommunicatum scienter receperit, sciat quòd pro fratre hospitalis eum amplius non habebimus. Praeterea de nuptiis parrochianorum suorum, sive de ceteris, quae ad jus parrochiale pertinent, salvis privilegiis romanae ecclesiae sanè intellectis, vos non intromitatis.

Raymundi, comitis Barchinon., epistola ad archiepisc. Tarracon., et Guillelmum Dapiferum data, quâ eos hortatur ut controversiam de campo S. Johannis, inter episcopum Dertusens. et fratres templarios agitatam, dirimant, et componant.

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

R. comes Barchinonensis, venerabili amico B. Dei gratia Tarrachonensi archiepiscopo, et G. Raymundi Dapifero, salutem. Rogando vos moneo ut visis his litteris conveniatis episcopum Dertusensem, et P. Umberti, et alios fratres hospitalis, qui sunt apud Emposta, et diffiniatis inter illos contentionem illam, quam habent de ecclesia et de terris S. Johannis; et dicatis veritatem inde

per hac controversiâ templarios inter et episcopum Dertusensem hic attulimus, praesenti locum dare voluimus, quod ad rem licet mancum ut puto, haud parum conducit.

sicut vidistis, et audistis, et etiam fecistis. Et ego pono hoc negotium totum in vobis, ut quidquid vos inde dixeritis, ratum habeam et firmum inter eos. Avete, et hoc ita perficite.

Adriani papae IV bulla in favorem ecclesiae Dertusensis.

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis clericis, et laicis per Dertusensem episcopatum constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. Ad hoc supernae miseratio Deitatis vos de diversis mundi partibus congregavit, ut confiteamini nomini sancto ejus, et talia studeatis semper pietatis opera exercere, quòd omnipotens Deus, qui vocavit vos de tenebris in ammirabile lumen suum, in vestris debeat delectari. Inter omnia autem opera sanctitatis nichil est unde Dominum magis propitium et placatum vobis reddere valeatis, quàm si ecclesiasticas personas, et religiosa loca diligere, et eis studueritis sua jura illibata, et integra conservare. Inde utique est quòd universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, monemus, et exhortamur in Domino, atque in peccatorum remissionem vobis injungimus, ut venerabili fratri nostro Dertusensi episcopo, quem nos tamquam virum honestum et religiosum debitâ benignitate suscepimus, et sincerae charitatis brachiis amplexamur, omnimodam obedientiam, ac reverentiam impendatis, et ecclesiam Dertusensem, quae quantò magis rudis, et novella plantatio, tantò amplius fidelium christianorum solatiis indiget, adjuvare, honorare, diligere, ac manutenere omninò studeatis; et praedicto fratri nostro episcopo decimas, primitias, oblationes, defunctiones, et cetera jura ecclesiastica sine

aliqua contradictione reddatis. Quatenus per haec, et per alia bona opera, quae Domino auxiliante feceritis, in marcessibilem coronam acquirere, et ad triumphalia castra regis aeterna possitis divinâ suffragante gratiâ pervenire. Praeterea vos nosse volumus, nos tam decimas, quàm omnia parrochialia jura de insulâ S. Laurentii Januensium praefato episcopo et ecclesiae Dertusensi auctoritate apostolicâ reddidisse (*a*). Si quis verò ea, vel alia jura sua ipsi auferre praesumpserit, eum excommunicandi eidem episcopo liberam concessimus facultatem. Dat. Beneventi XIII cal. April.

Adrianus papa IV ecclesiam Dertusensem sub apostolicae sedis protectione suscipit, ejusque statuta, et possessiones confirmat (*b*).

EX AUTOGR. IN ARCH. ECCL. DERTUS.

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Gaufrido Dertusensi episcopo, ejusque successoribus, canonicè substituendis, in perpetuam memoriam. Cum ex injuncto nobis à Deo apostolatus officio, quo cunctis

(*a*) Insula haec magni et nominis et praetii, ex Iberi fluentis ante Dertosam relicta; quae modò mutato ejus fluminis alveo evanuit. Porro Raymundus Berengarii, comes Barchinon. illius decimas Januensibus concesserat, seu veriùs ecclesiae S. Laurentii Januensium, in grati animi testimonium, ob acceptum ab illis auxilium in Dertosae expugnatione. Postea tamen Januenses ipsi, Raymundi munificentiam imitaturi, Dertusensi ecclesiae restituere, idque sub sedis apostolicae approbatione voluerunt.

(*b*) Hanc bullam vulgatam reperies in Hisp. sacra T. XLII. p. 303, typorum tamen aliisque mendis faedatam. Malumus ergo ad autographi fidem iterum describere.

Christi fidelibus, auctore Domino, praeeminemus, singulorum paci, et tranquillitati debeamus intendere; praesertim pro illorum quiete oportet nos esse sollicitos, qui pastorali dignitate sunt praediti, et ad officium pontificale promoti. Nisi enim nos, eorum utilitatibus intendentes, ipsorum jura, in quantum, Deo permittente, possumus, integra conservemus, et auctoritate apostolicâ eos ab iniquorum hominum incursibus defendamus; de illorum salute non vere poterunt esse solliciti, qui sibi ad *regendum*, Domino sunt disponente commissi. Ea propter, venerabilis in Christo frater Gaufride episcope, tuis justis postulationibus gratum impertientes assensum, te, et Dertusensem ecclesiam, cui Deo auctore praeesse dignosceris, sub beati Petri, et nostrâ protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut in ipsâ ecclesiâ ordo canonicus, qui secundum Deum, et beati Augustini regulam, et consuetudines ecclesiae Sancti Ruphi ibidem noscitur institutus, perpetuis temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascunque possessiones, quaecunque bona eadem ecclesia in praesentiarum justè, et canonicè possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, praestante Domino, poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: Granatellam, Fabarium cum pertinentiis suis, et ea, quae praedicta ecclesia in Bitem, et in Anasteth possidet. Quaecunque etiam venerabilis frater noster Bernardus Terraconensis archiepiscopus in decimis, primitiis, oblationibus, et defunctionibus, assensu comprovincialium episcoporum, et illustris viri Raymundi, comitis Barcinonensis, tibi noscitur concessisse, et annuum redditum centum Bizantiorum, quos

Item comes pro indumentis canonicorum concessit tibi, et per te ecclesiae tuae, nichilominus confirmamus. Decimas insuper omnium rerum ipsius episcopatus, quae decimari debent, primitias, et omnia ecclesiastica jura praefatae ecclesiae ex integro concedimus, et auctoritate apostolicâ roboramus; statuimus quoque, ut episcopalis sedes Dertusae habeat, et quietè possideat omnes terminos sui episcopatus, sicut melius umquam aliquis rex tempore sarracenorum regnum Dertusae possedit, vel possidere debuit. Sancimus autem, ut ipsius ecclesiae canonici tibi, tuisque successoribus debitam obedientiam, et reverentiam promittant et exhibeant, atque professionem faciant. Decernimus etiam, ut in memoratâ ecclesiâ nullus in episcopum éligatur, nisi canònicus, et canonico habitu indutus; religionis amator, et litteris eruditus, qui gregi sibi commisso et praeesse noverit pariter, et prodesse. Administratoriae verò jam dictae ecclesiae personae administrationes sibi creditas, non quasi haereditario jure possideant, sed ad arbitrium episcopi, et fratrum, aut in claustro resideant, aut alias administrationes cum obedientiâ sine contradictione suscipiant. De coetero statuimus, ut hospitali pauperum Christi, quod ad communem indigentium utilitatem constructum est, tam episcopus, quàm canonici Dertusensis ecclesiae de omnibus possessionibus, et reditibus suis decimas cum integritate persolvant. Prohibemus quoque, ut nulli ecclesiasticae, vel seculari personae liceat, nisi auctoritate nostrâ munita fuerit, in toto Dertusensi episcopatu absque tuâ, et successorum tuorum licentiâ ecclesias construere, vel constructas possidere, vel parroquialia sibi jura usurpare. Si quis autem parroquianus tuus, possessiones, et bona saepae dictae ecclesiae minuere, vel auferre praesumpserit, seu in aliquo excesserit, unde sit excommunicationis vinculo innodan-

dus, liceat tibi auctoritate nostrâ eum usque ad condignam satisfactionem canonicâ sententiâ coercere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat supradictam ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed illibata omnia, et integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ sedis apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit; secundò, tertiòve commonita, nisi praesumptionem suam congruâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, et à sacratissimo corpore, et sanguine Dei, et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum judicem praemia aternae pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Hadrianus, catholicae ecclesiae episcopus.

Ego Guido, presbyter cardinalis tit. Sancti Chrysogoni.

Ego Haubaldus, presbyter cardinalis tit. Sanctae Praxedis.

Ego Ymarus, Tusculanus episcopus.

Ego Centius, Portuensis, et Sanctae Ruffinae episcopus.

Ego Odo, cardinalis diaconus Sancti Georgii ad velum aureum.

Ego Guido, diaconus cardinalis Sanctae Mariae in Porticu.

Ego Hiacintus, diaconus cardinalis Sanctae Mariae in Cosmydyn.

Ego Odo, diaconus cardinalis Sancti Nicolai in carcere Tuliano.

Ego Bernardus, presbyter cardinalis tit. Sancti Clementis.

Ego Octavianus, presbyter cardinalis tit. Sanctae Ceciliae.

Ego Gerardus, presbyter cardinalis tit. Sancti Stephani in Coelio Monte.

Ego Henricus, presbyter cardinalis tit. Sanctorum Nerei, et Achillei.

Ego Joannes, presbyter cardinalis tit. Sanctorum Silvestri, et Martini.

Dat. Beneventi per manum Rolandi, sanctae romanae ecclesiae presbyteri cardinalis, et cancellarii, decimo tertio kalendas Aprilis, indictione III. Incarnationis Dominicae anno millesimo centesimo quinquagesimo quinto, pontificatus vero Domini Hadriani papae quarti, anno secundo (a), loco sigilli pendentis.

Adriani papae IV ad Raymundum Berengarii, comitem Barchinonens. epistola, super dotatione ecclesiae Dertusensis, et aliis rebus.

EX ARCH. EJUSD. ECCL.

MONITUM.

Hanc epistolam idcirco publici juris facere decrevimus, tum quia nullus eam quod scimus protulit, tum quoniam

(a) Cum Adrianus hic pontificatum ceperit die 3. Decemb. ann. 1154, videbitur fortasse aliqui non bene convenire annum sui pontificatus secundum cum die 20 Martii anni 1155. Sed sciendum est morem tunc fuisse annos ab Incarnatione Domini, die scilicet XXV. Martii, supputandi, et quidem completè et posticipatè, ut ajunt; quo fit

epistolae item ineditae Raymundi comitis occasionem praebuit. Illam ad hunc annum dedimus, quoniam licet anni nota careat; eodem tamen loco et die data est, quo praecedens ipsius papae bulla. Descripsimus autem, ut candidè fateamur, non ex autographo, quod nullibi reperire hucusque licuit, sed ex exemplari vetusto, haud parvae fidei et auctoritatis.

„ Adrianus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro R. Barchinonensi comiti, salutem et apostolicam benedictionem. Catholicorum principum est, et eorum qui Deum habere desiderant in suis actibus adjutorem, pia, et religiosa loca diligere, ac ea bonis temporalibus, ut aeterna in futuro percipiant, ampliare. Inde est quod nobilitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus Dertusensem ecclesiam, quae religionis, et honestatis habitu decoratur, bonis tibi à Deo collatis dota... (certe *dote afficias*), et tanta ei juxta promissionem tuam beneficia largiaris, ex quibus tam episcopus, qui ibidem ministrat assiduè, quàm XX. fratres in conventu, qui pro te Deum valeant exorare, sufficienter necessaria corporis, et vitae habeant alimenta, sufficientem quoque locum ad aedificandam ecclesiam, officinas canonicorum, et domos in usus episcopi eidem ecclesiae pro animae tuae salute concedas. Quod si nolueris effectu operis prosequente complere, ei ad claustrum suum licentiam dabimus redeundi. In castellis autem supernâ tibi miseratione concessis, meschitas cum possessionibus, quae prius sarracenorum fuerant, ecclesiae Dertusensi cum integritate restituas, ex quibus vitae necessaria sacerdotibus valeant ministrari. Noverit quoque nobilitas tua, et omnes memora-

ut annus 1155 ad usque XXV. Martii 1156 perduraret. Unde XX. dies ejusdem mensis et anni vere ad annum secundum illius pontificatus spectabat, atque ad indictionem IV.

ti episcopi parrochiani nos tam decimas, quàm omnia parrochialia jura de insulâ Sancti Laurentii Januensium praefato episcopo, et ecclesiae Dertusensi auctoritate apostolicâ reddidisse. Quae si quis auferre presumpserit, ipsum excommunicandi eidem episcopo liberam concessimus facultatem. Te quoque coadjutorem super hoc habeant, et omnibus modis defensorem. Ad haec magnificentiae tuae praesentium significatione injungimus, ut quod de ecclesiâ Sancti Joannis, cimiterio, et campo tu et G. Raymundi Dapifer tuus in veritate novistis, hoc idem pietatis intuitu, et religionis amore venerabili fratri nostro Terrachonensi archiepiscopo verbo, vel scripto, quia partes inter se taliter convenerunt, firmiter astruatis. Praeterea strenuitatem tuam rogamus, monemus et exortamur attentius, ut ipsum episcopatum, quem pro tuorum venia delictorum construere incepisti, more bonorum, et nobilium principum amplificare studeas, atque à tam laudabili et digno proposito usque ad consummationem nullâ ratione desistas. Datum Beneventi XIII. kal. Aprilis."

Litterae Raymundi Berengarii, comitis Barchinonens., ejus nominis IV, ad Adrianum papam itidem IV.

EX EXEMPL. VETUSTO MEMBRAN. IN ARCH. ECCL. DERTUSENS.

Venerabili domino, et patri suo dilectissimo, christianae religionis Dei gratiâ summum apicem obtinenti, sanctitatis ejus homo miles, et servus R. comes Barchinonensis, et princeps Aragonensis, totius salutis summam, ac totum totum seipsum. In adquisitione Ilerdensis et Dertusensis ecclesiae laborem ac sudorem nostrum partim oculis vestris vidistis (*a*), non visa relatione percepistis. Hoc au-

(*a*) Forte Adrianus in Hispaniam venerat, circa ann. 1148 ac sequenti, quibus Dertosa et Ilerda urbes captae sunt.

tum opus Dei, non nostrum fuisse, et scimus, et credimus; iosa quoque ad honorem, ac servitium (Dei), et ad augmentationem sanctae romanae ecclesiae addita esse gaudemus. Nos siquidem plurimis occupati negotiis, cum ad aedificationem ecclesiarum plenariè sufficere nequeamus, pro constitutione, et institutione, seu informatione Dertusensis ecclesiae, sanctae majestatis vestrae prostrati pedibus, etsi non corporali praesentiâ, mentali quâ possumus humilitate, obnixè supplicamus, ut in quibus vobis visum fuerit, et benignitati vestrae celsitudinis Dertusensis episcopus exposuerit, praefatae ecclesiae post Dominum primum vos fundamentum ponatis. Contentionis de Campo Sancti Johannis inter episcopum Dertusensem, et hospitalarios planam ac indubitabilem discussionem vobis annuntiamus; quod archiepiscopus Tarraconensis, et Guillelmus Raymundi missi à nobis donaverunt medietatem campi illius ad necessitates pauperum Christi advenientium in civitatem, et transeuntium, sive ibidem infirmantium; alteram medietatem ad cimiterium Dertusensis sedis (a): hoc idem, si vos jusseritis, juramento probare parati: et nos ita concedimus. De quibus prolixè vobis scribere supervacaneum duximus: de revelatione scilicet B. Ollegarii (b) olim patris vestri (c): de episcopis eccle-

(a) Incertum quo die et anno latum sit hoc judicium; unde et nos hujus et praecedentis cartae epocam determinatam haberemus. Extat certe Guill. Raymundi Dapiferi fides de hujus judicii prolatione, quam hoc eodem anno dedit; ast de tempore lati judicii silet.

(b) Forte miraculum indigitat ad S. Ollegarium spectans, qui recens vitâ functus erat.

(c) Hinc certissimè liquet hanc epistolam ad Adrianum papam IV. directam. Nullus quippe pontifex toto vitae Raymundi comitis tempore sedem romanam tenuit, cujus S. Ollegarius pater dici posset, nisi hic Adrianus, qui monasticam vitam in domo S. Ruphi

siarum vestrarum, quae sunt in partibus nostris, per vos ad religionem informandis: de quaerimonia, quam habemus adversus episcopum Pampilonensem: de praecibus, quas per archiepiscopum Ebredunensem, per episcopum Forojuliensem, per nuntium nostrum magistrum Seguinum, et per litteras nostras paternitatis vestrae sublimitati destinavimus. De his inquam, et de aliis multis, quae hic non apponimus, praedicto Dertusensi episcopo, consilii nostri secretario intimo, melius quam nos vos ipsum novistis (a), sicut nobis credere poteritis. Item, itemque valeat sanctitas vestra. Servet vos Deus per tempora longa.

Donatio loci de Abincabacer, quam fecit Fredericus, prior ecclesiae S. Mariae ejusdem loci, de consilio abbatis et fratrum Montis Flabonis, ecclesiae Dertusensi.

EX ARCH. ECCL. S. MARIAE DERTUS.

MONITUM.

Donaverat Raymundus, comes Barchinon. hunc locum de Abincabacer abbati et fratribus Montis Flabonis ord. praemonst. anno 1149; ea conditione ut monasterium et abbatiam sui ord. ibi construerent. Quod cùm praestare nequirent aut nollent, ipsi fratres illum locum ecclesiae Dertusensi dederunt praesenti instrumento, quam rem idem comes confirmavit anno sequenti, ut infra adnotabimus.

Quoniam fidelium donationes ecclesiae semel traditae in secularem donationem nullatenus debent postea redigi;

Avenione professus fuerat, quo tempore S. Ollegarius ibidem abbatis munere fungebatur ab anno circiter 1110 ad 1146.

(a) Utèrque scilicet pontifex monasterium S. Ruphi Avenion. simul incoluerat.

eâ auctoritate muniti, signo sanctae ✠ hanc cartulam corroborantes, tam vivorum praesentiae, quàm futurorum posteritati scripto commendare curavimus: quòd ego Fredericus, prior S. Mariae de Valle Clara (*a*), et communicato consilio dompni Stephani abbatis Flabonis Montis, et fratrum nostrorum, literis ejusdem abbatis nobis significato; sic, inquam, ego Fredericus, divinae pietatis, et ecclesiasticae religionis intuitu, deo, Deo, et ecclesiae S. Mariae Dertusensi, et tibi, Gaufride, et successoribus tuis, et canonicis inibi Deo servientibus, praedictum locum de *Valle Clara*, qui antea *Abincabacer* dicebatur. Hunc praenominatum locum cum omnibus pertinentiis suis, sicut comes Barchinonensis ipsum nobis donavit, sine fraude, sine dolo, sicut melius dici vel intelligi potest, arare (f. *à jure*) nostro alienantes, tradimus in dominium et potestatem jam dictae ecclesiae Dertusensis, ut ipsa saepe dictum locum teneat integriter, et in perpetuum jure ecclesiastico possideat. Actum est hoc VI. calend. Januarii anno ab Incarnatione Domini M.C.LVIII.

Sig+num Friderici, prioris de Valle Clara, qui hoc donum feci, firmarique rogavi.

Sig+num Johanis conversi.

Sig+num Dominici clerici.

Sig+num Geraldi de Silvanesto.

Sig+num G. Aymerici.

Sig+num G. Malloni.

Sig+num Bernardi de Sancto Poncio.

Sig+num Raydulfi de Nives.

Sig+num Johanis Ricardus, qui hanc chartam scripsi die et anno ut supra.

(*a*) Is ipse locus est qui primùm dicebatur *Abincabacer*.

Donatio loci de Abincabacer ad ecclesiam Dertusensem.

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

In nomine Domini nostri Jesuchristi, signo sanctae ✠ hanc cartam corroborantes, tam vivorum praesentiae, quàm futurorum posteritati notificamus: quòd ego Raymundus comes Barchinonensis, princeps Aragonensis, Ilerdae ac Dertusae Marchio, locum Dabincabacer, quem prius donaveram Stephano, abbati Montis Flabonis, et fratri Frederico canonico suo (*a*), cum jam dictus locus ad institutionem sui ordinis, Prati, scilicet, Monstrat, per eos informari non possit, amonitione et rogatu ipsorum inde prorsus abeuntium. Sic inquam ad honorem Dei, et ad laudem nominis ejus, ut divina scilicet ibi officia celebrentur, sic dono Deo et ecclesiae S. Mariae Dertusensi, et G. ejusdem dicto episcopo, et canonicis inibi Deo servientibus, eorumque successoribus, praedictum locum plenariè et integrum, sicut melius dici vel intelligi potest, et sicut donaveram ipsum prius saepe dictis fratribus Montis Flabonis. Factum autem hoc apud Oscam IIII. nonas Januarii, anno ab Incarnatione Domini M.C.LVIII.

Sig+num Raymundi comes.

Sig+num Bernardi, Tarraconensis archiepiscopi, salvo jure Tarraconae ecclesiae.

Sig+num Frederici, qui hoc donum firmo et laudo, et ab aliis firmari rogo.

(*a*) Facta fuerat haec donatio anno 1149, ea conditione ut ibi monasterium ordinis praemontratensium construerent: quod cum praestare nequivissent, et ipsi fratres prius ecclesiae Dertus. donaverunt, ut in praecedenti instrumento patet, quod modò Barchinonensis comes confirmat.

Sig+num A. de Turre rubea.

Sig+num Guillelmi Castri vetuli.

Sig+num Mir de Luzan.

Sig+num Guillelmi de Cerveria.

Sig+num Raymundi de Mulnels.

Ego R. Tarraconensis ecclesiae presbyter canonicus, subscribo.

Sig+num Johannis diachoni, et scribae comitis, qui hanc scripsit die et anno quo supra.

Consecratio eccl. S. Valentini in comit. Bisuldun. (a).

Anno Dominicae Incarnationis M.C.LXVIII. regnante rege Ledovico Junioris XXXII. XV. calendas Decembris venit dompnus Poncius, Dei dignatione Dertusensis episcopus, et abbas Sancti Johannis, jussu et praecibus venerabilis Guillelmi Gerundensis episcopi ad consecrandam ecclesiam in honore Sancti Valentini martyris et presbyteri, quae sita est in comitatu Bisuldunensi in parrochia Sancti Christophori de Beget, in Villare de Arça, quam incolae loci illius suis eleemosynis et laboribus aedificaverant. Constituit vero praedictus episcopus, et sub vinculo anathematis posuit, ut nulli persona magna vel parva audeat praedictam ecclesiam violare, nec aliquem ad eam confugientem, vel aliquam rem inde violenter abstrahere. Et quisquis aliquid de suis facultatibus divino instinctu ad luminaria concinnanda, vel ad necessaria ejus ecclesiae donare voluerit, ei de injunctâ sibi poenitentiâ XV. dies misericorditer relaxat. Praedictus vero episcopus, abbas Sancti Johannis, et abbas Campi totum hoc dederunt Deo, et Beato Valentino quantum infra parietes continetur ecclesiae.

(a) *Ex autograph. in vig. arch. Barcin.*

Poncius, Dei dignatione Dertosensis episcopus subscribo.=

Sig✠num Petri, abbatis Campi rotundi.=

Bissullunensis probat....atque sacerdos.=

Sig✠num Vincentii diachoni, qui haec scripsit die et anno quo supra.=

Donatio Raymundi de Munels, fratris D. Poncii, episcopi Dertusensis, de quibusdam domibus et terris, sub certis conditionibus, et praecipuè, ut fiat convivium in anniversaria qualibet sui obitus die.

EX AUTOGR. IN ARCH. ECCL. DERTUS.

Quoniam ea quae scripta notantur, melius memoria commendantur; ideoque in Dei nomine notum sit omnibus hominibus praesentibus, et futuris, quod ego Raymundus de Munels bono corde, et gratuita voluntate pro amore Dei et ad laudem sancti nominis sui, et propter remedium animae meae, et parentum meorum offero, dono, et in praesenti trado, atque concedo Domino Deo et Dertusensi ecclesiae Sanctae Mariae, et vobis Poncio episcopo, omnique conventui, cunctisque clericis ibidem Deo servientibus nunc et in perpetuum, illas nostras domos quas habeo in civitate Illerdae in parrochiâ Sancti Johannis de Platea; quae affrontant de duabus partibus in carrariis, et de tertia in domibus Bernardi de Tarrega, et de quarta vero parte in domibus Petri Galabrun, et Raymundi de Lileto. Iterum vobis dono, et offero alias domos quas habeo similiter in villa Illerdae juxta portam ferrizam de Zuta in parrochia Sancti Andreae; quae affrontant de una parte in domibus praedictae ecclesiae Sanctae Mariae, scilicet Dertosae, et de tribus verò partibus in carrariis

publicis. Adhuc dono et trado vobis quantum in praesenti habeo et teneo de illa haereditate quae fuit de Avulit Alchata sarraceno, scilicet terras et vineas ad ipsam Roal; excepto hoc quod jam ibi dedi ad Raymundum de Aragone et ad Petrum de Bordel. Et dono vobis illam meam Almuniam de Feraosa cum omnibus terminis suis et pertinentiis. Et cum hoc, quod praedicta Almunia habet in Fontaneto; et affrontat illa Almunia de una parte in termino illius turris Jerosolymitani hospitalis; et de alia in termino turris de Abinatea, et de alia vero parte in termino ipsius turris de Monte Leone, sicut ab hiis omnibus supradictis terminis et affrontationibus includitur et terminatur cum exitibus et ingressibus suis, et omnibus sibi pertinentibus, cum omni ejus integritate dono atque concedo Domino Deo, et Dertuensi ecclesiae Sanctae Mariae, et clericis ibidem Deo servientibus francum et liberum per cuncta saecula. Et cum hac praesenti carta donationis de meo proprio jure et dominio in potestate praenominatae ecclesiae Dertosae, et Poncii episcopi, et ejus canonicorum totum hunc supradictum honorem ad integrum trado atque delibero ad tenendum et ad possidendum sine vinculo, et contrarietate ullius hominis et foeminae. Sub tali autem conditione, quod post obitum meum episcopus et presbyteri ejusdem ecclesiae, et omnes alii presbyteri comorantes in villa Dertosae, faciant annuatim meum annivetsarium, et pro animâ meâ et parentum meorum atque omnium fidelium defunctorum in tali die in qua anima recederit à corpore meo semper celebrent omnia divina officia defunctorum; et omnes clerici et pauperes illius civitatis Dertosae reficiantur in illa die de expletis et redditibus praedicti honoris; quod verò superaverit illius, in commune commodum illius ecclesiae, et conventus revertatur. Insuper volo, atque dispono, quod si praedictus Pon-

cius frater meus ejusdem ecclesiae episcopus mihi supervixerit, ille teneat in omnibus diebus suis et possideat omnem illum supradictum honorem ad integrum, et in die mei anniversarii faciat meum convivium sicut superius est scriptum annuatim. Post obitum vero suum, teneat totum ipsum honorem ille qui mensam canonicorum tenuerit Dertusensis ecclesiae, et qui anniversarium meum, et convivium sine omni dubitatione semper faciat. Sed episcopus et canonici Dertusensis ecclesiae habeant solummodo hospitium in praedictis domibus cum suis propriis expensis. Expleta et redditus illius honoris semper in potestate perveniant illius qui tabulam canonicorum obtinuerit, et meum servitium supradictum perficiet; et ita sit semper sine omni servitute remota. Omnia verò supradicta mihi adveniunt per apresionem et adquisitionem. Et ero inde semper praedictae ecclesiae legalis auctor et defensor contra omnes homines et foeminas. Et ego Poncius episcopus cum assensu, et voluntate totius conventus nostrae ecclesiae laudo et concedo tibi Raymundo de Munels, quod in diebus tuis habeas hospitium in praedictis domibus quotiescunque in villâ Illerdae venies cum tuis propriis expensis; et in singulis annis dum vixeris facias sensum pro illo hospitio quod tibi concedimus unum par gallinarum nostrae ecclesiae in Natale Domini. Si quis contra hanc cartam donationis ad disrumpendum venire voluerit, non ei valeat, sed in quadrum componat hoc, et postea firmum permaneat omni tempore, et tamdiu sit segregatus à corpore Christi donec dignè satisfaciat. Acta carta Illerdae tertio idus Decembris anno ab Incarnatione Domini M.C.LXXVIII.

Sig✠num Raymundi de Munels, qui hoc firmat et testes firmare rogat.

Sig✠num Petri Raymundi Bernardi.

Sig✠num Raymundi de Aragone.
Sig✠num Petri Sancti Poncii.
Sig✠num Willelmi de Favars.
Sig✠num Bernardi Sancti Laurentii.
Sig✠num Petri, filii Petri Raymundi Bernardi.
Sig✠num Willelmi de Bar; qui hujus rei sunt testes.
Geraldi sig✠num qui hoc rogatus scripsit die, et anno praescripto, et cum litteris rasis et emendatis in quinta decima et in vigesima prima linea.

Celestini III. breve in confirmationem omnium donationum ecclesiae Dertusens.

EX ARCH. EJUSD. ECCL.

Celestinus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Dertusensi episcopo (*a*) salutem et apostolicam benedictionem. Licet universorum votis, ex injuncto nobis officio teneamur adesse: fratrum tamen, et coepiscoporum nostrorum petitiones, et preces tantò benignius volumus exaudire, quantò inter alios locum obtinent digniorem, et quadam specialitate ad impetrandum suae petitionis affectum patrocinium sedis apostolicae meruerunt. Ea propter, venerabilis in Christo frater, tuis justis postulationibus inclinati, possessiones, villas, molendina, judaeos, et omnia jura, et cemiteria, certis distincta limitibus, quae illustris memoriae Ildephonsus quondam rex, et charissima in Christo filia nostra Sanctia, illustris regina Aragonum, ecclesiae Dertusensi consideratione providâ contulerunt, sicut ea omnia justè possides, et quietè, et in autentico praedicti regis plenarìè continentur, tibi, et per te ipsum

(*a*) Erat tunc Dertusensis episcopus D. Gombaldus de Sancta Oliva.

Synodus celebrata per dominum Petrum (a), episcopum Dertusensem, anno Domini millessimo trecentessimo septimo, idus Novembris.

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

Contra rectores residentiam personalem non facientes in suis ecclesiis.

Cùm per constitutionem sanctorum patrum, romanorum pontificum; et specialiter per constitutiones foelicis recordationis domini Gregorii papae decimi, quae incipit: *Licet canon*, statutum fuerit et decretum ut rectores parrochialium ecclesiarum in ipsis ecclesiis, quarum rectores existunt, residere personaliter teneantur; et nonnulli rectores ecclesiarum parrochialium diocesis Dertusensis contempnant, seu negligant in suis ecclesiis residentiam facere personalem, propter quod gregis sibi traditi cura postponitur, et ecclesiis hujusmodi debita obsequia abstrahuntur: idcirco nos Petrus Dertusensis episcopus, cupientes supra dictas constitutiones inviolabiliter observari, ipsas decrevimus poenae addicione vallandas. Celebrantes itaque sanctam synodum in ecclesiâ Dertusensi; assistentibus nobis veneralibus Bernardo de Jardino priore, et capitulo ejusdem Dertusensis ecclesiae, et praesentibus omnibus rectoribus civitatis et diocesis supradictae, statuimus ut universi rectores ecclesiarum parrochialium in suis ecclesiis teneantur personaliter residere. Qui autem, ut praemittitur, (f. *permittitur*) post duos menses à tempore publicationis praesentis constitutionis continuè numerandos in suâ

(a) Petrum, scilicet, de anno 1306 ad usque 1310 praeBetteto, qui huic ecclesiae ab fuit.

parrochiali ecclesiâ de cetero neglexerit residere, poenam decem aureorum se noverit incursurum, nisi per nos, vel successores nostros supra residentiam, ut praemittitur, faciendam, fuerit misericorditer dispensatum. Poenam autem hujusmodi ordinationi nostrae, vel successorum nostrorum ducimus reservandam.

Contra rectores ementes redditus aliarum ecclesiarum.

Item, cùm aliqui rectores non contenti suis beneficiis, emant redditus annuos aliarum ecclesiarum parrochialium, quod ex quadam ambitione procedere disnoscitur; cùm nec duabus ecclesiis possunt debitam provissionem impendere, et ex hoc dissolutionis et vaccationis materia inducatur: idcirco prohibentes statuimus, ut quilibet rector nostrae diocesis suâ parrochiali ecclesiâ sit contentus, quòd fructus seu redditus alterius parrochialis ecclesiae emere non presumat. Quicumque autem contrarium fecerit, tam emptor, quàm venditor poenam XX. aureorum se noverit incursurum. Et nihilominus contractus hujusmodi ipso jure sit irritus et inanis.

Contra rectores commitentes curam animarum sine licentiâ pro poenâ decem aureorum.

Item statuimus quòd nullus rector committat curam animarum in suâ parrochiali ecclesiâ alicui clerico sine nostrâ licentiâ spetiali per nos, aut successores nostros, quamdiù praesentes fuerimus in civitate et diocesi Dertusensi; alias in absentiâ nostri vel successorum nostrorum fiat commissio hujusmodi animarum curae; nisi fortè rectores habeant proficisci extra suas ecclesias, vel infirmitate vel alio legitimo impedimento fuerint impediti. Tunc

enim de licentiâ nostrâ, quam eis de praesenti concedimus, in casibus praedictis possint personis idoneis curam committere animarum, donec ad suas ecclesias sint reversi, vel cesset hujusmodi impedimentum. Nec aliquis rector recipiat aliquem clericum extraneum ad celebrandam missam in suâ ecclesiâ absque literis dimissoriis sui diocesani. Quicumque contrarium fecerit, poenae decem aureorum ipso facto noverit se subjacere.

Quòd rectores possint condere testamentum de bonis per ecclesiam adquisitis.

Item statuimus et ordinamus quòd rectores ecclesiarum parrochialium nostrae diocesis, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint, aere alieno deducto et exceptis vasis vinariis, et utensilibus, et apparamentis domorum ecclesiarum suarum, possint condere testamentum, vel aliam ultimam voluntatem de bonis mobilibus per ecclesiam adquisitis vel adquirendis, quae habuerint tempore mortis suae; videlicet pro remuneratione servitiorum suorum seu ministrorum, qui eis honestè servierunt, et pro institutione cappellaniarum, et adniversariorum, vel alias ad pias causas infra ecclesias suas, vel in sede Dertusensi prout eis secundum Deum melius videbitur expedire. Possint etiam dicti rectores emere bona immobilia de bonis mobilibus, quae ad eos pervenerint de ecclesiis suis pro cappellaniis, vel anniversariis, vel lampadibus instituendis, vel aliis propriis causis. Et de bonis immobilibus sic emptis per eos, ordinare seu instituere cappellanias vel anniversaria, vel alias ea distribuere ad pias causas infra ecclesias suas, vel in sede Dertusensi, ut superius est dictum vel permissum. Et retinemus nobis dicto episcopo et successoribus nostris decimam omnium dictorum bonorum

quae fuerint adquisita, per succesores rectorum, qui nunc vivunt, et hoc in signum dominii generalis.

Quòd synodus celebretur in festo Sancti Martini.

Item statuimus quòd singulis annis in festo Sancti Martini in ecclesiâ Dertusensi sancta synodus celebretur.= Et quicumque autem rector civitatis vel diocesis Dertusensis, cessante legitimo impedimento, dictae synodo interesse neglexerit, poenam XX. solidorum Barchinonen. monetae se noverit incursurum.

Secunda synodus domini Petri, anno domini M.CCC.VIII. secundo idus Novembris.

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

De horis dicendis, et de libris in ecclesiis tenendis.

Nos Petrus, miseratione divinâ episcopus Dertusensis, constituimus et ordinamus quòd omnes rectores et vicarii, ac clerici habentes benefficia curata, vel simplicia in civitate, vel diocesi Dertusensi, et alii in sacris ordinibus constituti in civitate praedictâ, vel diocesi residentes, teneantur dicere, seu recitare divinum officium, horas, videlicet, canonicas nocturnas, et diurnas et alia divina officia celebrare.=Et quòd si aliqui libri sunt in ecclesiis parrochialibus civitatis, vel diocesis Dertusensis, qui non sint scripti secundum consuetudinem ecclesiae Dertusensis, rectores, et vicarii dictarum ecclesiarum parrochialium, in quibus hujusmodi libri fuerint, compellant parrochianos suos per censuram ecclesiasticam ad vendendum tales libros, et ad habendum alios libros idoneos, qui sint jux-

ta consuetudinem ecclesiae memoratae, infra biennium continuè numerandum. = Et si praedicti rectores, vel vicarii circa compulsionem praedictam negligentes fuerint, vel remissi, solvant pro poena quilibet ipsorum qui in hoc negligentes fuerint, decem aureos in pios usus, juxta nostrae cognitionis, vel successorum nostrorum arbitrium convertendos.

Prima synodus celebrata à D. Francisco de Paholaco, episcopo Dertusensi.

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

Anno Domini M.CCC.XI. die Jovis quae fuit tertio idus Novembris, reverendus pater et dominus dominus Franciscus, divinâ miseratione Dertusensis episcopus, primam synodum celebravit in sede Dertusensi, et ordinavit constitutiones sequentes.

Confirmatio omnium constitutionum per praedecessores domini Francisci editarum.

Nos Franciscus, miseratione divinâ, Dertusensis episcopus, in civitate personaliter constitutus, praesentibus et assistentibus nobis venerabilibus Bernardo de Jardino, priore, et toto capitulo ecclesiae memoratae, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, sanctam synodum celebrantes, de assensu praedictorum prioris, et capituli laudamus ac concedimus, et approbamus, et per omnia confirmamus omnes constitutiones factas per praedecessores nostros ad utilitatem, libertatem, et deffensionem ecclesiarum, clericorum, et religiosorum, monasteriorum, et rerum omnium praedictarum: et etiam omnes alias ad correctionem,

et reformationem subditorum nostrorum, per praedecessores nostros editas confirmamus.

De institutione festivitatum hîc contentarum.

Item, ad divini nominis honorem et gloriam, et exaltationem catholicae fidei, et salutem, statuimus et ordinamus de consilio et assensu venerabilis Bernardi de Jardino prioris, et capituli Dertusensis festum passionis imaginis Christi, idus Novembris: et festum Sancti *Blasii* episcopi et martyris, tertio nonas Februarii: et festum Sancti Juliani et festum Beati Antonii abbatis et confessoris XVI. kalendas Februarii in sede et ecclesiis civitatis, et diocesis Dertusensis, annis singulis perpetuis et futuris temporibus à clericis sub officio IX. lection. devotione debitâ celebrari.

Quòd carnes non fiant per carnifices in diebus jejuniorum, nisi in casibus hîc contentis.

Item, ad extirpandam et refrenandam quorundam audatiam perversorum civitatis et diocesis Dertusensis, qui mandatum ecclesiae elatâ cervice frangere non formidant; statuimus et ordinamus quòd aliquis carnifex, vel quivis alius, nisi pro necessitate infirmorum et parturientium mulierum tantùm, audeat de cetero in dictâ civitate vel diocesi vendere publicè carnes in diebus veneris, nec in vigiliis Apostolorum, vel aliorum Sanctorum, quorum vigilias sancta mater ecclesia praecipit jejunare. = In vigiliis Natalis, Resurrectionis, Penthecostes, dumtaxat exceptis ob reverentiam festivitatis, seu festivitatum eorum decentiam et honorem. Si quis autem praesentis constitutionis temerarius violator extiterit, excommunicationis sententiam se noverit incursurum.

Dominus Franciscus fecit constitutionem sequentem anno Domini M.CCC.XI. XIIII. kalendas Decembris.

Quòd rectores possint facere testamentum.

Item, quamvis Dominus Petrus (*a*) bonae memoriae praedecessor noster celebrando synodum in sede Dertusensi in favorem rectorum statuisset et ordinasset quandam constitutionem, quae incipit: *Item, statuimus et ordinamus quòd rectores ecclesiarum parrochialium nostrae diocesis deducto &c.* Nos volentes uberiorem facere gratiam, de consilio et assensu venerabilis Bernardi de Jardino prioris, et totius capituli Dertusensis, statuimus et ordinamus, quòd omnes rectores nostrae diocesis, qui nunc sunt, vel qui pro tempore fuerint, deducto aere alieno, et exceptis vasis vinariis et aliis apparamentis, seu utensilibus necessariis domus, seu abbaciis ecclesiarum suarum, secundum qualitatem eorum, possint condere testamentum seu aliam ultimam voluntatem de bonis mobilibus seu se moventibus per ecclesiam adquisitis, et etiam immobilibus per easdem ecclesias adquisitis: legando ecclesiae Dertusensi, vel ecclesiae propriae, vel ad cappellanias, vel ad anniversaria infra nostram ditionem, vel pro remuneratione servitiorum, vel familiae suae, vel aliis piis locis, vel amore Dei, vel quibuscumque locis, et personis capacibus. = Retinemus tamen nobis et successoribus nostris in signum universalis dominii tricesimam partem bonorum, quae fuerint adquisita pretextu ecclesiarum per successores rectorum qui nunc vivunt, decimam retentam in dicto statuto per praedecessorem nos-

(*a*) Petrus de Betteto, qui edidit in synodo Dertusensi, laudatam hìc constitutionem anno 1307.

trum facto ex certâ scientiâ revocantes, et ut dictum est, ad istam tricesimam ex spetiali gratiâ reducentes.

Quòd clerici non coquant victualia in furnis judaeorum, vel sarracenorum.

Item statuimus et ordinamus de consilio et assensu venerabilis Bernardi de Jardino prioris, et totius capituli Dertusensis, quòd nullus clericus civitatis et termini Dertusensis, cujuscumque conditionis, dignitatis et *status* existat, seu aliquis nomine eorundem, vel ad eorum officium audeat decoquere, vel facere decoqui panem, carnes, seu alia victualia, vel quae sub aliquo genere victualium comprehendi possunt, in furno, vel in furnis judaeorum vel sarracenorum diebus festivis, vel aliis, vel etiam in diebus festivis in furnis christianorum. Et quicumque praedictorum contrarium fecerit, solvat pro poenâ decem solidos regalium Valentiae, erario nostro applicandos.

Secunda synodus domini Francisci de Paholaco, episcopi Dertusensis, celebrata tertio idus Novembris anno Domini M.CCC.XIIII.

De mutatione synodi, et celebrabitur dominicâ secundâ post festum Resurrectionis Domini.

Nos Franciscus, misèratione divinâ Dertusensis episcopus, in sede nostrâ Dertusensi sanctam synodum celebrantes: attendentes quòd propter mutationem temporis, aestatis, videlicet, et hiemis, rectores diocesis antedictae convenientes ad dictam civitatem in festo Sancti Martini ad celebrandam synodum, juxta consuetudinem Der-

tusensis ecclesiae antiquitùs observatam, sustineant usque ad haec tempora plurimos labores, ac suarum pericula personarum, cùm propter inundationes aquarum, et nivium, tamen (*festum etiam*) propter frigora, quae tunc vigent; volentes hujusmodi pericula evitare, de consilio et assensu nostri capituli, et rectorum existentium in synodo supradictâ, constituimus et ordinamus quòd de caetero dicta synodus celebretur in ecclesiâ Dertusensi secundâ dominicâ post festum Resurrectionis dominicae, non obstantibus constitutionibus synodalibus per praedecessores nostros editas, in quibus statutum fuerat quòd praedicta synodus in festo Sancti Martini deberetur annis singulis celebrari; quas in hoc penitus revocamus. Aliis contentis in ipsis constitutionibus in suo robore duraturis.

Prima synodus Domini Berengarii (*a*), *Dertusensis episcopi, anno M.CCC.XVIIII., XIII. kalendas Julii celebrata Dertuae.*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

Quòd rectores faciant residentiam in suis ecclesiis.

Nos Berengarius, miseratione divinâ Dertusensis episcopus, assistentibus nobis venerabilibus Bernardo de Barberano priore, et capitulo sedis ejusdem, ac rectoribus nostrae diocesis Dertusensis, et aliis qui consueverunt, et debent admitti ad synodum celebrandam, approbamus et confirmamus omnes constitutiones nostrorum praedecessorum, et spetialiter constitutionem domini Petri (*b*) bonae memoriae editam super residentiâ personali, à rec-

(*a*) Berengarii, scilicet, de Pratis; qui annis 24 hanc sedem tenuit, à 1316 ad 1340.

(*b*) Petri, scilicet, de Beteto in synodo celebrata anno 1307.

toribus in suis ecclesiis faciendâ. Mandantes eisdem sub poenâ in dictâ constitutione contentâ, quòd infra tempus seu terminum in eadem comprehensum omnes rectores nostrae diocesis in suis ecclesiis residentiam faciant personalem.

Quòd nullus construat ecclesiam vel altaria in jam constructis ecclesiis, sine licentiâ episcopi.

Quamvis sit in sacris canonibus constitutum ut nullus de novo sine licentiâ episcopi in aliquâ diocesi construere debeat, seu construi facere per se, vel aliam ecclesiam vel cappellam, nec aliquod altare erigere in ecclesiis jam constructis, et contra praedicta jura multi in Dertusensi diocesi quadam temeritate adhibitâ non dubitaverint in jam constructis ecclesiis erigere altare seu altaria, et de novo etiam ecclesiam construere; et parum esset jura condere, nisi esset qui eadem tueretur: idcirco nos Berengarius, Dertusensis episcopus, affectantes futuris periculis obviare, assistentibus nobis venerabilibus Bernardo de Barberano priore, et omnibus aliis de capitulo, praesenti constitutione statuimus quòd de coetero nullus, cujuscumque conditionis, gradus, aut status existat, aedificet aut construat per se, vel per alium aliquam ecclesiam, vel capellam, seu altare, vel altaria in nostrâ diocesi Dertusensi in jam constructâ ecclesiâ seu etiam construendâ, absque nostrâ vel successorum nostrum spetiali petitâ licentiâ, et obtentâ. Quod si à quoquam contrarium fecerit attemptatum, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto. Et eadem excommunicatione decernimus innodari omnes qui auctoritate propriâ, vel veriùs temeritate, in capellâ, seu altaribus sine nostrâ, vel sucessorum nostrorum licentiâ in antea construendis, ausi fuerint scienter celebrare missam, seu facere celebrari.

Secunda synodus ejusdem Domini Berengarii de Pratis.

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

Anno Domini M.CCC.XXIII. idus Aprilis, dominus Berengarius, sanctam synodum celebrans, infra scriptam edidit constitutionum confirmationem.

Nos Berengarius, divinâ miseratione Dertusensis episcopus, sanctam synodum celebrantes in ecclesiâ Dertusensi, comperimus ratione habitâ diligenti; quòd constitutionum pluralitas non solum confussionem, sed etiam periculum animarum inducit, dum ea quae constituuntur, non observantur debitâ reverentiâ, et legitimè, ut deceret; constitutiones de novo aliquas edere nolumus in praesenti. Sed mandamus firmiter et districtè quòd constitutiones per praedecessores nostros, et per nos editas in synodis celebratis in nostrâ diocesi, ab omnibus jurisdictioni nostrae subjectis inviolabiliter observentur. Qui verò inventi fuerint contemptores, poenas in ipsis constitutionibus appositas, meritò possint formidare.

Ejusdem D. Berengarii synodus tertia.

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

Recitatio aliquarum constitutionum supradictarum, edita per dominum Berengarium die lunae, quae computabatur secundo kalendas Madii, anno Domini millessimo tricentesimo vigesimo quarto.

Reverendus in Xpto. pater, et dominus dominus Berengarius, divinâ providentiâ Dertusensis episcopus, celebra-

vit synodum in sede Dertusensi, et fecit publicare quandam constitutionem sanctissimi in Xpto. patris et domini nostri Joannis, divinâ Dei providentiâ XXII. sacrae sanctae romanae ecclesiae summi pontificis, quae sic incipit: *Joannes episcopus, servus servorum Dei; venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis electis &c.* Item fecit publicari duas constitutiones reverendissimi domini patris, et domini Examenii, divinâ providentiâ sanctae Terraconensis ecclesiae archiepiscopi, editas noviter in sacro concilio Tarracone, quarum una incipit: *Praedecessorum nostrorum qui dampnarunt &c.* Nullâ aliâ constitutione editâ per dominum episcopum supradictum, sed alias constitutiones tam provintiales quàm synodales jam editas, fecit legi et etiam recitari.

Synodus IV. dom. Berengarii de Pratis.

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

Anno Domini MCCCXXVIII. die Martis XIII. kalendas Madii reverendus in Xpto. pater, et dominus Berengarius, episcopus Dertusensis, in synodo per ipsum celebratâ in ecclesiâ Dertusensi fecit constitutiones infrascriptas.

Quòd obtinentes beneficium perpetuum vel annuale, intersint horis canonicis in ecclesiis in quibus beneficiati extiterint.

Multorum rectorum, et aliorum nostrae diocesis querellis frequentius excitati compellimur urgente nos conscientiâ circa ea quae periculum animarum in subditis et clericis, et cultus divini ac honoris ecclesiarum desertionem

inducunt, salubribus remediis obligare. Sanè pervenit ad nos quòd nonnulli presbyteri cappellanias perpetuas vel annales in ecclesiis civitatis et diocesis nostrae obtinantes nolunt interesse missis et aliis horis canonicis nocturnis pariter et diurnis cum rectoribus vel vicariis qui eas celebrant, cantant, seu recitant in eisdem. Ea propter nos Berengarius, miseratione divinâ Dertusensis episcopus, sanctam synodum celebrantes in nostrâ ecclesiâ Dertusensi; attendentes quòd de jure communi presbyteri, beneficiati, et alii in sacris ordinibus constituti, tenentur horis canonicis diurnis pariter, et nocturnis in ecclesiis interesse, de consilio, et assensu venerabilium Raymundi de Palo-laco prioris, et capituli nostri, approbantes, et confirmantes constitutiones nostras et praedecessorum nostrorum hactenus editas, et in suo robore perdurare volentes, specialiter constitutionem bonae memoriae domini Petri (*a*) praedecessoris nostri, quae incipit: *Anno D. MCCCVIII. secundo idus Novembris, nos Petrus miseratione divinâ &c.* statuimus, et ordinamus, et in virtute sanctae obedientiae districtè praecipiendo mandamus quòd omnes presbyteri capellanias perpetuas vel etiam annuales in ecclesiis civitatis vel diocesis Dertusensis obtinentes, vel qui ea obtinuerint in futurum, sint, et teneantur interesse cum superpelliciis continuè missis et omnibus horis canonicis, diurnis pariterque nocturnis, quas in ecclesiis, in quibus ipsas cappellanias habent, vel de coetero habuerint, contingerit celebrari, ac etiam processionibus, quas extra

(*a*) Synodum unicam D. Petri de Betteto, episcopi Dertus. dedimus supra ad annum 1307. Et licet in ea de residentia clericorum actum fuerit, constitutio tamen hic laudata alia videtur ab illa. Ex qua iterum eruimus secundam synodum ab eodem Petro anno 1308 habitam, quae hactenus latet.

ipsas ecclesias per conventum nostrae sedis, vel per rectores ecclesiarum ipsarum, vel vicarios eorundem fieri contigerit, interesse nihilominus teneantur. Adicientes quòd nullus de praedictis presbyteris, cappellanias perpetuas vel annuales habentibus, audeat se absentare à locis in quibus ipsas cappellanias celebrare tenentur, absque rectorum ecclesiarum, in quibus dictae cappellaniae celebrandae sunt, vel eorum loca tenentium, licentiâ speciali petitâ pariter et obtentâ; super quam licentiam *concedendam* rectorum ipsorum, et eorum loca tenentium conscientias oneramus; scientes quòd si praedicti presbyteri rebelles fuerint, vel etiam contumaces, eos poenâ debitâ, exigente justitiâ, fortiter puniemus. Mandantes *nihilominus* in virtute sanctae obedientiae omnibus rectoribus civitatis, et nostrae diocesis, et eorum loca tenentibus quòd si eos circa praedicta negligentes invenerint, vel rebelles, nos per suas litteras, vel saltem in sequentibus synodis de eorum negligentiâ, vel contumaciâ debeant certificare, ut eorum crescente contumaciâ, poenam etiam augeamus.

Quòd rectores, vicarii, vel alii venientes ad civitatem Dertusae, se representent episcopo, vicario, vel officiali.

Item statuimus et ordinamus de consilio et assensu prioris, et capituli praedictorum quòd si quis rectorum nostrae diocesis, vel vicarius, vel alius presbyter cappellaniam perpetuam, vel anualem in nostrâ diocesi obtinens, vel qui de caetero obtinuerit, ad civitatem Dertusensem contigerit ex quacumque causâ venire, nobis, si presentes ibidem fuerimus, vel vicario, seu officiali nostro die quâ ipsam civitatem intraverit, vel saltim in crastinum se presentare, vel eisdem causam sui adventus ex-

primere teneatur, et idem de triduo in triduum, quamdiù ibidem fuerit, facere sit astrictus. Quòd si fortè praedicta facere noluerit, si rector, vel vicarius fuerit, XX. solidorum, si verò alius non habens curam animarum, X. solidorum poenam ipso facto incurrant.

Item quòd rectores obtinentes beneficia non recipiant alias cappellanias.

Avariciae coecitas et damnandae cupiditatis improbitas sic quorundam clericorum, tam curata quàm simplicia beneficia, perpetua seu annualia obtinentium oculos excecavit, quòd non contenti suis stipendiis, quibus commodè sustentari possunt, ad alia inhiant, cum vix unum dignè valeant obtinere: ea propter nos Berengarius, miseratione divinâ Dertusensis episcopus, de consilio et assensù prioris, et capituli praedictorum, statuimus, et ordinamus quòd nullus rector vel vicarius perpetuus, vel temporalis civitatis vel nostrae diocesis, vel presbyter alius perpetuam, vel temporalem capellaniam obtinens in eisdem, vel qui ibidem eas obtinuerint in futurum, ipsas rectorias, vel cappellanias, vel vicarias tenendo audeat cappellanias alias annuales vel medias capellanias, vel etiam trentenaria celebrent, absque nostra, vel officialium nostrorum, vel archipresbytri Morellae in archipresbytratu suo licentiâ spetiali petitâ pariter, et obtentâ. Super quibus concedendis eorum officialium et archipresbytri conscientias oneramus. Qui verò contrarium fecerit, ingressum ecclesiae ipso facto, donec à nobis vel successoribus nostris dispensationem habuerint, sibi noverint interdictum. Poenam autem hujusmodi constitutionis ultimae post festum instans Sancti Joannis Baptistae mensis Junii locum sibi vendicare volumus, et non antea. Datis Dertusae in choro ipsius ecclesiae XIII.° kal. Madii anno Domini MCCCXXVIII.°

Synodus V. Dom. Berengarii de Pratis episc. Dertus.

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

Anno Domini MCCC.XXX. die lunae, quae computabatur IX. kalendas Madii, reverendus in Xpto. pater, et dominus dominus Berengarius, divinâ providentiâ Dertusensis episcopus, celebravit synodum in ecclesiâ Dertusensi, in qua confirmavit omnes constitutiones provintiales, et synodales.

Nos Berengarius, miseratione divinâ Dertusensis episcopus, in sede nostrâ Dertusensi sanctam synodum celebrantes de assensu venerabilium Raymundi de Paholaco prioris, et capituli nostri, de certâ scientiâ confirmantes, et approbantes omnes constitutiones synodales, tam per praedecessores nostros, quàm per nos editas, quatenus non obviant, seu contradicunt constitutionibus provintialibus editis die lunae intitulatâ quarto kalendas Martii, anno Domini M.CCC.XXVIIII.° declaratis et confirmatis in provintiali concilio Terraconensi per reverendissimum in Xpto. patrem, et dominum dominum Joannem divinâ providentiâ patriarcam Alexandrinum, et administratorem in spiritualibus et temporalibus ecclesiae Terraconae. Quas in praesenti nostrâ synodo unà cum constitutionibus synodalibus praedecessorum nostrorum et nostris publicavimus seu fecimus publicati, et nihilominus de assensu praedictorum prioris et capituli facimus constitutionem infrascriptam.

De mutatione poenae contra celebrantes sine licentiâ.

Cùm in constitutione per nos editâ (*a*) quae incipit: *Avaritiae coecitas &c.* in transgressores ipsius poena suspensionis ab ingressu ecclesiae sit statuta; ex qua propter pronitatem hominum ad peccandum aliquos irregularitatis laqueum intelleximus incurrisse, et multos idem incursuros in posterum verisimiliter formidamus: idcirco volentes circa praemissa competentem adhibere medelam, attendentes quòd non est reprehensibile judicandum si secundum diversitatem temporum statuta quoque varientur humana, poenam praedictam suspensionis ab ingressu ecclesiae de certâ scientiâ revocamus, dictâ constitutione quantum ad alia in suo robore duraturâ. Statuentes ut transgressores constitutionis praedictae poenam XX. aureorum quotiescunque contravenerint ipso facto incurrant. Et nihilominus transgressores ipsi ad restitutionem eorum, quae contra constitutionem praedictam receperint per nos aut officiales, aut vices gerentes nostros, aut archipresbyterum Morellae in suo archipresbytratu in pios usus, ut de jure fuerit, convertendorum, nullâ profuturâ eis remissione, remaneant obligati. = Haec constitutio lecta fuit et publicata in choro ecclesiae Dertusensis die Jovis VI.° kal. Madii anno Domini M.CCCXXX.° praesentibus praedicto venerabili priore et capitulo dictae ecclesiae, et aliis rectoribus diocesis ibidem ad dictam synodum congregatis.

(*a*) In synodo anni 1328.

Contra rectores absentes à suis ecclesiis ultra duos menses.

Dudum bonae memoriae dominus Petrus (*a*) predecessor noster, attendentes quòd licèt sacris esset canonibus diffinitum ut rectores parrochialium ecclesiarum in suis ecclesiis teneantur personaliter residere; nonnulli tamen rectores parrochialium ecclesiarum diocesis Dertusensis contemnebant et negligebant in suis ecclesiis facere residentiam personalem, propter quòd gregis sibi *crediti* cura postponebatur, et ecclesiis ipsis debita subtrahebantur officia: cupientes ipsos canones inviolabiliter observari, ipsos de assensu sui capituli providè duxit poenae additione vallandos, statuendo ut universi rectores ecclesiarum parrochialium in suis tenerentur ecclesiis personaliter residere. Et quicunque post duos menses, ut praemittitur, à tempore publicationis constitutionis ipsius in suâ ecclesiâ negligeret residere, poenam X. *aureorum* se noverit incursurum. Sanè quia ex constitutione jam dictâ, quae divitibus praesertim et obtinentibus pinguia beneficia, et locis populosis praesidentibus modicam poenam secundum qualitatem reatus adjecit, modicus fructus, sicut experientia docuit, secutus extitit; quinimò pene ipsius facilitas nonnullis ex rectoribus ipsis vagandi, ac postponendi curam gregis sibi crediti tribuit materiam, sicque ecclesiis ipsis divina officia subtrahuntur, et in eis cura per eos negligitur animarum; idcircò nos Berengarius, miseratione divinâ Dertusensis episcopus, huic morbo volentes, prout ex debito tenemur pastoralis officii, congruam adhibere medelam, ut quos Dei timor à malo non revocat, temporalis saltim poena cohibeat à peccato: et fa-

(*a*) D. Petrus de Betteto in synodo habita ann. 1307.

cientes contra constitutionem hujusmodi quantum excedant poenâ docente cognoscant, poenam jam dictam ad equalitatem inter majora et minora obtinentes beneficia nihilominus reducentes: de consilio nostri capituli hac constitutione valiturâ perpetuò statuimus, et praedictae adicimus sanctioni, ut quicunque rector, curatus civitatis, aut diocesis Dertusensis à suâ ecclesiâ sine licentiâ nostrâ, vel successorum nostrorum abfuerit, nunc vel in posterum quacunque occasione vel causâ, nisi infra duos menses continuos ad eandem pro residendo continuò ibidem sine fraude reversus fuerit, à fructibus, ac perceptione fructuum sui curati beneficii cujuscunque anni, in quo sic excesserit, (quos in hoc casu dispositioni nostrae, et successorum nostrorum duximus reservandos) sit ipso facto suspensus, atque privatus. Et nihilominus contra ipsum non residentem aliter procedi valeat juxta et per canonica instituta.

Contra rectores residentes in aliis hospitiis quàm in ecclesiâ propriâ.

Item cum aliqui rectores nostrae diocesis, licet in ecclesiis suis residere se dicant et simulent, conducunt tamen seu emunt, seu alio modo procurant alibi hospitia seu domos, in quibus, etsi ad ecclesias proprias saepè vadant pro divinis officiis celebrandis, et ministrandis ecclesiasticis sacramentis, ut plurimum seu pro majori parte habitant, et sic residentiam fraudant: universis et singulis rectoribus nostrae diocesis prohibemus, ne alibi quàm in suis ecclesiis hospitium, seu domum habeant, vel teneant, quod vel quam inhabitent: sed in eisdem ecclesiis, ut tenentur, residentiam personalem, et continuam faciant sine fraude. Si quis autem fraudem hujusmodi facere repertus fuerit, à

fructibus sui beneficii, et perceptione eorum (quos dispositioni nostrae reservamus) hoc casu sit, quamdiù hanc fraudem fecerit, ipso facto suspensus atque privatus.

Has duas Berengarii constitutiones, quae sequuntur, insertas reperimus synodo D. Arnaldi de Lordato anni 1343: quod exscribentium vitio et incuriae tribuere, quis dubitet?

Contra erigentes altaria sine licentiâ.

Cùm nihil sit adeò clarum quin aliquam recipiat sollicitam dubitationem, idcircò nos Berengarius, miseratione divinâ episcopus Dertusensis, in aede nostrâ sanctam synodum celebrantes de consensu capituli nostri dubitationem apud quosdam exortam super constitutionem olim per nos editam quae incipit: *Quamvis sit sacris canonibus constitutum &c.* (*a*) amputare volentes, ipsam constitutionem, et poenas in ea contentas declaramus locum sibi vendicare si altaria erigantur in nostrâ diocesi, absque nostrâ, aut successorum nostrorum licentiâ spetiali, etiam extra ecclesias vel cappellas. In altaribus tamen ipsis extra ecclesias vel cappellas erigendis ad hoc tantum ut in eis per presbyteros noviter ordinatos primae missae celebrentur, vel ut in ipsis quando processiones pro pluviâ fieri continget valeat celebrari, dummodo in missis praefatis ibidem celebratis dicta altaria incontinenti exinde omninò removeantur: nec non quoad habentes à jure vel privilegio licentiam erigendi altaria. Dictam constitutionem et poenas in ea contentas declaramus et statuimus locum sibi nullatenus vendicare.

(*a*) Constitutionem istam edidit in synodo 1318 superius allatâ.

Casus retenti per reverendum dominum Berengarium, episcopum Dertusensem, super confessionibus.

Primus casus: si quis profiteatur credere haereticam pravitatem. Secundus: clericus symoniacus in ordine, vel beneficio. Tertius: clericus qui ab alieno episcopo se fecerit ordinari, licentiâ nostrâ non obtentâ. Quartus: clerici per saltum promoti aliquo ordine pretermisso. Quintus: incendiarii ecclesiarum. Sextus: illi qui suos filios occiderunt studiosè, vel etiam negligenter, absolvantur à suis confessoribus à peccato, quantumcunque sit publicum, et remittantur ad dominum episcopum ad reconciliationem recipiendam die Jovis sanctae, si est publicum, alias non est remittendus. Septimus: mulier quae de adulterio conceperit infantem, quem maritus credit esse suum, propter quem legitimi fraudantur hereditate paternâ; consulatur episcopus, nisi sit in articulo mortis.

Synodus D. Arnaldi de Lordato, episcopi Dertusensis (a).

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

Anno Domini MCCCXLIII. die Martis intitulata tertio kalendas Madii, dominus Arnaldus episcopus synodum in ecclesiâ Dertusensi celebrans edidit constitutiones infrascriptas.

Contra operarios et sacristas non reddentes computum de receptis, et expensis per ipsos.

Cùm jure cautum existat quòd ea, quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum usum debeant,

(a) Hic rexit ecclesiam Dertusensem ab anno 1341 ad 1346.

et non ad alium, salvâ quidem sedis apostolicae auctoritate, converti; cùmque fidedignorum relatione ad nos pervenerit quòd quidam layci nostrae civitatis, et diocesis, qui operarii seu sacristae ecclesiarum vulgariter nuncupantur, legata et alias donationes operi, luminariae, et sacristiae ipsarum ecclesiarum piâ fidelium devotione factas, ad alios usus in suarum periculum animarum convertunt; nos igitur episcopus praefatus volentes pias fidelium devotiones, ordinationes et voluntates juxta eorum intentionem observari, de consensu dicti capituli *statuimus* quatenus dicti operarii et sacristae annuatim infra unum mensem à fine sui regiminis computandum, de receptis et expensis per eos occasione sui officii successoribus suis in praesentiâ suorum rectorum seu vicariorum, et juratorum loci fidelem rationem et computum reddant. Et reliqua quae superfuerint suis successoribus tradant, et assignent. Quòd si praemissa non observaverint, poenâ excommunicationis innodentur.

Contra operarios et sacristas tenentes in suis domibus vasa sacra.

Item quia res sacrae, et benedictae non sunt per laycorum manus contractandae: intelleximusque quòd plures layci nostrae civitatis, et diocesis Dertusae, qui sacristae seu operarii ecclesiarum vulgariter nuncupatur, calices, indumenta sacerdotalia, et alia ecclesiastica ornamenta divino cultui deputata, divinis celebratis in ipsis ecclesiis officiis, dictos calices, indumenta, et alia ecclesiastica ornamenta ad domos suas privatas portant, et in eis custodiunt, et sub suis clavibus deponunt; nos igitur episcopus praefatus volentes dicto abusui obviare, de consensu dicti capituli statuimus et ordinamus, quòd deindè dicti ope-

rarii, sive sacristae layci dicta bona ecclesiastica ad suas domos privatas non defferant, nec in ipsis domibus sub suis clavibus ea teneant, seu reponant. Sed in ipsis ecclesiis in bonis archis, seu armariis firmis parrochianorum ecclesiarum ipsarum expensis in dictis ecclesiis fiendis, sub bonis clavibus et clausuris conservandis. Et per ipsos sacristas seu operarios dictis clavibus tenendis remaneant teneantur, et custodiantur, et conserventur. Quas archas, seu armaria infra trium mensium spatium à tempore publicationis praesentis statuti in eorum ecclesiis faciendae fieri volumus et mandamus. Quòd si huic praesenti statuto aliqui non paruentes fuerint, contra ipsos procedemus prout de jure fuerit procedendum.

Contra tonsuratos et in minoribus constitutos, et laycos concubinarios.

Item cùm contra clericos beneficiatos et in minoribus ordinibus constitutos publicè concubinas detinentes, olim fuit per nostros praedeccessores salubriter ordinatum; quia tamen, prout percepimus, quamplures sunt clerici tonsurati, et in minoribus ordinibus constituti, ac layci in nostrâ civitate et diocesi in suis domibus concubinas in animarum suarum periculum ac Dei offensam, et rei malae exemplum tenere publicè non verentur; contra quos spetialiter per eos non extitit ordinatum: idcircò nos episcopus praefatus volentes animarum ipsorum periculis obviare, et eorum saluti providere, ne sanguis eorum de manibus nostris exquiratur, de consensu dicti capituli statuendo inhibemus ne clerici in minoribus constituti ordinibus, seu layci, vel etiam simplices tonsurati, qui nunc sunt, vel in posterum fuerint in civitate et diocesi Dertusae, in domibus suis publicè tenere praesumant concubinas, immò si eas in

praesenti, quod absit, habeant, à se incontinenti, et à suis domibus abjiciant et expellant, easdem, vel alias deinceps non recepturi, nec etiam admissuri. Clerici verò praedicti et layci huic praesenti inhibitioni, et statuto non parentes, ter moniti excommunicationis sententiâ innodentur. Statutis aliis super haec contra clericos in majoribus constitutos et beneficiatos in suo robore duraturis.

Contra rectores non habentes sufficientes lectos in suis abbaciis.

Item quia jure testante clerici curam animarum habentes ad hospitalitatem decentem et congruam juxta facultates suarum ecclesiarum causâ pietatis et eleemosynae sunt astricti: nec non et suum episcopum visitantem, et alios superiores suos idem officium exercentes, quibus hoc competit juxta statutum et conditionem visitantium, et visitatorum, recipere, procurare et tractare tenentur; idcircò nos episcopus praefatus ad memoriam reducentes quod pridem officium visitationis exercentes reperimus, et experientiâ comprobavimus, quòd quam plures rectores et vicarii perpetui ecclesiarum curam animarum habentes in nostrâ diocesi Dertusensi charent lectis in domiciliis, hospitiis, seu domibus ecclesiarum ipsarum; quam pluresque rectorum, et vicariorum ipsorum lectos paucos, et insufficientes, et nullius vel saltim modici valoris, ruptos, fractos, attritos in dictis suis domiciliis habent, adeoque potius cedunt orrori aspicientibus, quam honori ipsorum rectorum ac vicariorum ecclesiarum suarum: praemissis attentis et pluribus aliis justis causis, quae animum nostrum rationabiliter movent, honori, et utilitati ecclesiarum dictae nostrae diocesis, viis quibus cum Deo possumus totis nostris desideriis anhelantes, et negligentiae et ignaviae

rectorum et vicariorum praedictorum, qui lectis condecentibus charent in hospitiis seu domibus praedictis, honorem suarum ecclesiarum, et suum non attendentium, salubriter obviare volentes: statuimus et maturâ deliberatione prehabitâ de consensu dicti capituli ordinamus, quòd omnes rectores ac vicarii perpetui curam animarum in dictâ nostrâ diocesi obtinentes, quorum redditus centum librarum Barchinonensium summam communi extimatione non attingunt, quatuor lectos bonos, et decentes, pannis munitos, et complentes, valentes ad minus XV. libras Barchinonenses si de presenti non habent, habeant: ita videlicet quòd infra annum presentem duos saltem, et infra sequentem alios duos lectos in dictis hospitiis et domibus habeant. Qui verò centum libras Barchinonenses, vel supra in redditibus communi extimatione habent, quinque lectos bonos, sufficientes et munitos, ut supra dictum est, in dictis hospitiis et cappellaniis habeant, si de presenti non habent, valoris XX. librarum Barchinonensium ad minus, videlicet infra annum presentem duos, et ex tunc infra proximè sequentem tres, suos, non acommodatos, non precario receptos, et continuè teneant in eisdem domibus, seu cappellaniis post mortem eorum ibidem remansuros. Qui verò huic nostro statuto effectualiter non parherit, poenam centum solidorum Barchinonensium nobis applicandorum ipso facto incurrat. Si qui tamen sint rectores, seu vicarii redditus adeò tenues habentes, quòd dictos tres lectos infra dicta tempora habere bono modo non possent, ipsos sub presenti nolumus comprehendi statuto, sed ipsos nostro arbitrio ducimus retinendos. Item quòd ista statuta unà cum aliis nostrorum predecessorum habeant, et conservent, et publicent in suis ecclesiis quàm citò poterunt sub poenâ XX. solidorum nobis ipso facto, nisi fecerint, applicanda.

Quod rectores scribant nomina confitentium, et excommunicatorum.

Mandamus, et ordinamus quòd quilibet rector, seu vicarius curam animarum habens, habeat et teneat in ecclesiâ suâ, seu sibi commissâ registrum in quo scribat, seu scribi faciat nomina parrochianorum suorum sibi confitentium, ut sic in morte eorundem parrochianorum de ipsorum confessione testimonium perhibere valeant veritati. Et nihilominus habeat et teneat in suâ seu sibi commissâ ecclesiâ registrum in quo scribat, seu scribi faciat nomina excommunicatorum, et eorum ad quorum instantiam, et per quos judices fuerint excommunicati unà cum die, et anno excommucationis ipsorum. Et dicta registra nobis et successoribus nostris anno quolibet, cum in ecclesiis eorum visitationis officium nos contigerit exercere, debeat exhibere. Quod si non fecerit, juxta voluntatem et arbitrium nostrum punietur.

D. Fr. Bernardi de Oliver, episcopi Dertusens., constitutio de festo S. Augustini solemniter celebrando, et de ratione expensarum capitulo reddenda.

EX AUTOGR. ECCL. DERTUS.

Noverint universi quòd die martis intitulatâ quarto kalendas Junii, anno Dominicae Incarnationis M.CCCXLVII. reverendus in Xpto. pater dominus frater Bernardus, Dei gratiâ episcopus, et honorabilis Guillermus de Sancto Minato, prior, et totum capitulum sedis Dertusae congregati pro capitulo in hospitio episcopali, fecerunt legi, et publicari coram eisdem per me Guillelmum Geraldi, notarium publicum Dertusensem, et infrascriptum, in prae-

sentiâ videlicet et testimonio discreti Petri Venrelli rectoris ecclesiae de Azchon, et Johannis Salvani literati civis dictae civitatis, ad haec pro testibus vocatorum et rogatorum quandam scripturam papiream, tenorem qui sequitur continentem. Quoniam gaudent in coelis animae sanctorum, qui Xpti. vestigia sunt secuti, gaudet profectò creator aeternus cùm suam humani generis creaturam post triumphum de carnis nexibus habitum conspicit palmam gloriae meruisse: gaudent nec mirum cives Angelici cùm terrenorum incolam terrae tenebris cultu fidei, et devotionis splendore fugatis, factum coeli civem et compatriotam sanctorum civium intuentur. Et quia ad divinae laudis obsequium Basillicae sanctorum in titulum sunt erectae, ut in eis quae domus orationis existunt, suffragia bonorum agminum implorentur. Quorum devotis ordinationibus, et orationibus illa et alii Xpti. fideles aeternae foelicitatis praemia consequantur. Idcircò nos frater Bernardus, divinâ miseratione Dertusensis episcopus, de consensu venerabilium Guillermi de Sancto Minato, prioris, et capituli nostri cùm in ecclesiâ metropolitanâ, et aliis quasi omnibus universi celebrentur hymni tam in diurnis horis omnibus, quàm nocturnis, volentes sibi adherere constituimus et ordinamus, quòd de coetero in nostrâ ecclesiâ, et tòta nostra diocesi dicantur solempniter hymni tam horis diurnis, quàm nocturnis. Item statuimus quòd de coetero non dicatur *Miserere mei*, in antiffonis illis *O Sapientia* &c. prope Natale Domini, prout hactenus fuit fieri consuetum. Item ad honorem gloriosissimi Beati Augustini, de cujus regulâ sumus, statuimus et ordinamus, quòd de coetero festum praeffati Beati Augustini fiat cum sex cantoribus, et festum Translationis ejusdem cum quatuor cantoribus. Item quòd gloriosissimum festum Corporis Xpti. habeat octavas solempnes, sicut festum Assump-

tionis Beatae Mariae. Et dictus venerabilis prior de voluntate domini episcopi et capituli praedictorum promittit dare unicuique canonico in dicto festo Beati Augustini duodecim denarios ultra illas tres carnes, quas recipere consuevit in festo praedicto; et unicuique presbytero tres denarios, et unicuique diachono, subdiachono, monacho, dormitorario, et unicuique pauperi duos denarios, et non aliis. Alma mater ecclesia nonnulla plerumque rationabiliter ordinat et consultè, quae postmodum suadente subjectorum utilitate in melius statuit, rationabiliusve commutat. Sanè in nostrâ ecclesiâ Dertusensi fuit antiquis temporibus constitutum quòd prior, camerarius, hospitalarius et infirmarius quilibet ipsorum teneatur bis in anno reddere rationem et computum de receptis et expensis episcopo et capitulo Dertusensi: primò videlicet post festum Omnium Sanctorum infra quindeçim dies: secundò autem post festivitatem Pentechostes infra quindecim dies. Et si aliquis praedictorum in reddenda ratione seu computo infra tempus superius assignatum negligens, vel remissus fuerit, aut rebellis, incurrat suspensionis sententiam ipso facto. Eademque poena suspensionis imponitur capitulo Dertusensi, si infra tempus praedictum in exhigendâ ratione, vel computo negligens fuerit, vel remissum. Verùm quia ad redditionem dicti computi, quod semel in anno, videlicet infra praedictas quindecim dies post festum Pentechostes reddi solummodo consuevit, praefati administratores episcopus aut capitulum commodè vaccare non possunt divinis officiis quae infra octavas dicti festi celebrare habent, ac etiam propter solempnitatem festivitatis Corporis Domini nostri Jesu Christi quae infra praedictos quindecim dies post editionem dicti statuti noviter....plurimum occupati; quia etiam praedictum compotum de toto anno integraliter reddi, sive claudi non

potest infra terminum supradictum, pro eo quia annus qui in kalendis Junii quoad redditionem compoti incipit, quia ante dictos quindecim dies perfectus non est, nec etiam infra ipsos: idcircò nos frater Bernardus, divinâ permissione, episcopus Dertusensis et Guillermus de Sancto Minato prior, et totum capitulum ejusdem ecclesiae memoratum statutum quoad infrascripta ex praemissis causis meritò commutantes, statuimus et ordinamus quòd de cetero praedicti priór, camerarius, hospitalarius et infirmarius teneantur reddere compotum seu rationem de receptis, et expensis episcopo et capitulo Dertusensi singulis annis infra et per totum mensem Junii; ipsumque compotum seu rationem semel in anno tantummodo, et infra ipsum mensem reddere sint astricti, ac infra id tempus dictum compotum seu rationem capitulum Dertusense exhigere teneatur. In coeteris autem supradictum statutum in suo robore volumus permanere. Et ut de praemissis omnibus et singulis in futurum haberi valeat plena fides, petimus et requirimus per vos presentem notarium nobis fieri publicum instrumentum. Ad quorum reverendi domini episcopi, prioris et capituli instantiam, et requisitionem, ego dictus notarius qui praemissa legi et publicavi ut supra continetur, ac ipsis interfui, ea in hanc publicam formam redigi et scribi jussi. Quae fuerunt acta in civitate Dertusensi, videlicet in hospitio episcopali jam dicto die, horâ, et anno quibus supra, atque presentibus vocatis et rogatis testibus antedictis.&c.

Nos frater B. Dei gratiâ Dertusensis episcopus, praedicta firmamus.

Ego Guillermus de Sancto Minato, prior Dertusensis, subscribo.

Ego Franciscus de Crevenyo, archidiaconus Dertusensis, subscribo.

Ego Raymundus de Tayano, hospitalarius Dertusensis, subscribo.

Ego Franciscus de Monte Olivo, archidiaconus de Cuyla, subscribo.

Ego Laurentius Bontro, canonicus Dertusensis, subscribo.

Ego Jacobus Sortor, prior claustralis Dertusae, subscribo.

Ego Joannes de Castis, canonicus Dertusensis, subscribo.

Ego G. de Scalis, canonicus Dertusensis, subscribo.

Ego Geraldus de Robione, infirmarius ecclesiae Dertusensis, subscribo.

Ego Romirus Martini de Peralta, succentor Dertusensis, subscribo.

Ego Petrus de Castro veteri, canonicus Dertusensis, subscribo.

Ego Jacobus de Banenaciis, canonicus Dertusensis, subscribo.

Sig✠num Guillermi Geraldi, notarii publici Dertusae, qui predictis interfuit, et haec scribi jussit.

Sig✠num Joannis Salvani qui haec scripsit, jussu Guillermi Geraldi notarii publici Dertusae, cum raso, et emendato in IX. linea ubi dicitur rationabilius. Et in X. linea ubi dicitur festivitatem. Et in XI. linea ubi dicitur fuerit vel remissum. Et in XV. linea ubi dicitur et infra. Et in penultima linea ubi dicitur prioris die et anno praenotatis.

Modus seu forma qualiter synodus celebratur in ecclesiâ Dertusensi.

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

Notta quòd synodus regulariter debet celebrari dominicâ secundâ post Pascha, in qua cantatur evangelium *Ego sum Pastor bonus:* et quacumque die septimanae celebratur synodus. Post matutinas monachi chorum praeparent totum de tapetis. Et cappellanus sacristiae paret cathedram episcopi de tapeto, et aurcalibus (f. *aurealibus*) et pannis more solito. Paret etiam in medio chori, ubi legendum est evangelium *Ego sum Pastor bonus*, cum panno, sive capsono sex cantorum. Aperiat etiam tabernaculum, et altare paret solemniter. Postea in aurora pulsetur squila parva pro prima, et inmediatè dicatur missa in cappella Sancti Stephani. Nec alia aliqua missa dicatur, nisi pro festo, si sit, vel pro parteria; quia si festum novem lectionum intervenerit istis tribus diebus, fit officium festi. Dictâ primâ, pulsetur pro tertia cymballum majus, et dum pulsatur conveniant omnes. Iterum autem dum tertia cantabitur dominus episcopus, si voluerit, paret se, vel canonicus cum ministris, indumentis rubeis. Post tertiam classicum pulsetur, sicut in festis duorum cantorum, et sint cantores capis rubeis induti in choro: et incipiant officium Sancti Spiritus scilicet, *Spiritus Domini replevit orbem*, cum solemnitate et spatiose. Et hoc est verum, nisi fuerit festum alicujus sancti, quia tunc dicitur missa de illo sancto cum indumentis, et capis congruentibus ipsi festo. *Kirieleyson, Gloria in excelsis, Credo, Preffatio* dicentur. Dum missa cantatur, cappellanus sacristiae paret ornamenta episcopalia scilicet, mitram, et crossam, indumenta alba episcopalia pro episcopo, diachonus, et subdiachonus et lignum Do-

mini, et duo socii sint cum capis albis. Dictâ missâ, et datâ benedictione dominus episcopus cum ministris sacristiam intrent, et ablutis manibus induit se amictu, tunicâ, stolâ cum capâ, mitrâ et crossâ, diachonus in dalmaticâ, subdiachonus in tunicâ, et duobus cum capis, et praecedentibus duobus ceroferariis et turibulo fumiganti intrent chorum. Interim cappellanus sacristiae cathedram prioris majoris paret episcopo, et episcopus intrans chorum eat ad sedendum in cathedra prioris, ad hoc ut ea quae dicturus est, melius per omnes audiri possint. Cùm autem intrat, omnes de choro assurgant; et diachonus petitâ benedictione ad legendum evangelium, vadat et legat evangelium *Ego sum Pastor bonus.* Sed si in alio tempore celebretur synodus, dicatur evangelium *Sint lumbi vestri praecincti.* Dicto evangelio domino episcopus debet incipere hymnum *Veni creator Spiritus* altâ voce, qui complete dicatur, Quo finito dicat dominus episcopus ℣ *Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium:* ℟. *Et tui amoris in eis ignem accende.* ═ *Dominus vobiscum.* *Oratio: Deus qui corda.* Qua dicta omnes sedeant, et fiat sermo in latino. Post quem per notarium episcopi legantur rectores qui debent sigillatim respondere cùm nominantur, vel pro eis procuratores eorum; quibus publicatis dominus episcopus moneat clericos, et corrigat eos de vitâ, de vestibus, de incessu, statu, de paramentis ecclesiarum, de ordine suo, et ut morem majoris ecclesiae servent, et de aliis quae viderit corrigenda. Et postea legantur constitutiones synodales, et provintiales. Deinde si aliquis conqueratur de aliquo, sive de clerico, sive de layco, audiatur in suis justis petitionibus. Moneantur etiam rectores de opere ecclesiae, et de aliis de quibus dominus episcopus videbit expedire. Quo finito pulsetur ad sextam, et eâ decantatâ vadant ad hospitia sua.

Secunda dies synodi.

Secundâ die synodi verò levantur tapeta de choro, sed omnia sicut heri pulsentur, et fiant: omnibusque congregatis dum cantatur tertia sacerdos induat se cum suis ministris ad missam, in qua tenentur alba indumenta; et pulsato clasico cantores capis albis induti in choro incipiant officium Beatae Mariae Virginis, scilicet, *Salve sanctâ parens*, spatiosè, et solemniter *Kirie eleyson*, cum versibus *Gloria in excelsis*, *Credo*, *et Prephacio* dicantur. Post missam continuatâ synodo, quae de novo sunt factae constitutiones publicantur, et si aliqua gravamina fuerant proposita, reducantur ad debitum statum. Tractantur etiam alia quae fuerint tractanda, et sic fiat deinceps usque ad ultimam diem, quâ debet finiri synodus: qui si talia negotia imminent, quae infra tres dies non possint finiri, differatur quantùm necesse fuerit. Quo facto pulsetur ad sextam, et ea dicta petant omnes ad habitationes suas; et ante meridiem clauditur tabernaculum, et altare plicatur, et tapeta, et alia ornamenta de choro removeantur.

Tertia dies synodi.

Tertiâ die, aliàs ultimâ synodi pulsatâ tertiâ, et omnibus congregatis paret se dominus episcopus, vel canonicus dum tertia dicitur in choro cum suis ministris, indumentis nigris, pulsatoque clasico, duo capis nigris induti incipiant officium defunctorum, scilicet, *Requiem aeternam*: et ordinentur orationes sicut in commemoratione omnium fidelium defunctorum. Dictâ missâ fiat processio pro omnibus fidelibus defunctis per ecclesiam et per claustrum: et si non pluit, vel ventus vigeat, vel nimis luta, itur ad

Sanctum Joannem de Campo, et fiat processio, sicut in commemoratione omnium fidelium defunctorum est ordinatum. Et si propter dicta impedimenta non vadat processio ad Sanctum Joannem, fiat processio per ecclesiam, cluastra, et ciniterium, sicut in commemoratione omnium fidelium defunctorum. Et reversâ processione in choro, fiat sermo. Deinde dominus episcopus moneat, et roget rectores, et alios clericos totius episcopatus, quòd omnes unâ die celebrent missas pro episcopis, et fratribus ecclesiae defunctis, et pro benefactoribus nostris. Quo facto et dictâ missâ et decantatâ sextâ ad prandium accedimus. Et notta quòd sermo non fit, nisi primâ die, et ultimâ tantum: nec legitur evangelium nisi primâ die. Et si fortè dominus episcopus non est, et vicarius suus celebrat synodum, canonicus indutus cum ministris intrat chorum post missam, et stat ante cathedram prioris, et diachonus vadit ad legendum evangelium; quo finito dicitur hymnus, *Veni Creator Spiritus*, et post fiat sermo. Interim sedeat canonicus cum ministris.

Regula.

Nota: quòd si dominus episcopus celebrat synodum à festo Paschae usque ad festum Omnium Sanctorum, processio fit cum superpelliciis per omnes, exceptis cantoribus qui capas nigras ciricas portant. Si autem celebratur à festo Omnium Sanctorum usque ad Pascha, tunc canonici et beneficiati ecclesiae portent capas nigras, et coeteri rectores, et clerici superpellicia, et cantores dictas capas nigras, seu ciricas.

Duplex synodus D. Othonis de Moncada, episcopi Dertusens. (*a*).

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

Constitutiones reverendi domini Othonis, episcopi Dertusensis.

Anno Domini millesimo, quatuor centesimo, trigesimo secundo, die sabbati, quae computabatur undecima mensis Julii, ordinationes infrascriptas fecit reverendus in Christo pater dominus Otho, Dei gratiâ Dertusensis episcopus, in congregatione sui cleri, quam fecit in villâ Uldeconae. Post verò idem reverendus dominus episcopus in solempni synodo, quam in suâ Dertusensi ecclesiâ cum suo honorabili capitulo, et clero congregavit, dictas ordinationes aliquibus correctis, additis, et mutatis de consensu praedictorum, et aliquibus de novo additis, voluit et decrevit vim constitutionum habere, et pro constitutionibus observari, et inter alias constitutiones synodales collocari; quae publicatae fuere in dictâ synodo die primâ Februarii anno à nativitate Domini M.CCCC.XXXIII.° in dictâ ecclesiâ Dertusae, quarum tenor talis est.

Quòd curam animarum habentes, faciant unum librum, in quo scribant nomina confitentium, et comunicantium per totum circulum anni.

Sicut per babtismum, quae est prima tabula post nau-

(*a*) Tenuit Otho ecclesiam Dertusensem ab anno 1415 ad 1473: concilio Basileensi interfuit, tum et inter S. R. E. cardinales adscitus est.

fragium, vetus exuitur, et induitur novus homo; sic per, secundam tabulam, quae est poenitentia, resurgimus post peccatum, et ad portum ducimur salutarem, cujus praecipua pars oris confessio inter coetera computatur. Verùm quia multi utriusque sexus circa eandem negligentes nostris temporibus reperiuntur, jura et sacra mandata, tam apostolica, quàm provintialia, et synodalia circa haec edita contemnendo: idcirco nos Otho, Dei gratiâ episcopus Dertusensis, ut animarum periculis de salubri remedio provideatur, in hac sacrâ synodo de consensu *honorabilium* prioris, et capituli ejusdem ecclesiae Dertusensis, prout inferius continetur, duximus providendum, statuendum, et etiam ordinandum. In primis statuimus, et etiam ordinamus quòd quicunque curatus, rector, aut vicarius, seu quivis alius curam animarum regens, attento quod annus quoad perceptiones fructuum, et ad servitutes beneficiorum curatorum incipit in istâ nostrâ diocesi primâ die mensis Madii, faciat librum juxta *constitutionem* super his editam per bonae memoriae Arnaldum praedecessorem nostrum, quae incipit: *Mandamus, et ordinamus.* Quem incipiat facere eadem die non in papirea fustra, et troces, sed in bonâ formâ, ubi nomina omnium qui confitebuntur scribantur, ac etiam illorum qui communicabunt, et sic per totum cujuslibet anni circulum dictum librum continuent taliter quòd in fine anni de animabus sibi commisis Deo, ac nobis seu ad deputatos debitam valeant reddere rationem.

Quòd curati inducant pro viribus omnes parrochianos suos ad confitendum.

Item statuimus quòd praedicti curati pro viribus suis inducant omnes suos utriusque sexus parrochianos, tam

clericos, quàm laycos, qui ad annos discretionis pervenerint, ad confitendum, et communicandum frequentibus monitis, exortationibus congruentibus. Et si parrochianorum aliqui voluerint alteri, quàm suo confiteri curato, de ejus licentiâ albarano, seu scripturâ, aut vivae vocis oraculo ipsius cui confitebuntur dictum suum teneantur certificare curatum, ut ulterius sacratissimum Eucharistiae sacramentum à suo valeant curato dignè recipere, aut de ejus licentia ab alio presbytero, seu religioso, cui hoc curatus decreverit commitendum.

Quòd omnes illi, quibus data est licentia audiendi confessiones, teneantur etiam habere librum superius dictum.

Item quòd religiosi cujuscumque religionis existant, et alii presbyteri quicunque, quibus per nos, seu vicarium nostrum dabitur licentia audiendi confessiones in dictâ diocesi, aut per curatum parrochialem in parrochiâ suâ juxta constitutionem provintialem domini Johannis, archiepiscopi Terraconae: item cum in edita decretali, et etiam constitutionem domini legati de Fuxo quae incipit: *Cum in ecclesiae corpore.* Quibus adjicere intendimus; teneantur similem librum facere, et albarana dare omnibus qui sibi confitebuntur. Qui libri, seu albarana tradantur curatis parrochialibus. Et similia albarana teneantur parrochiani habere, qui extra diocesim fuerint confessi ab illis quibus confitebuntur, ut per illos et illa suus curatus parrochialis sit de eorum confessionibus certificatus. Et nisi dictum librum et conscriptionem fecerint dicti religiosi, et alii presbyteri, nullatenus admittantur ad confessiones audiendas, quantumcunque licentiam, seu licentias à nobis, seu vicario aut officiali nostro habeant, et

obtineant in quacunque formâ verborum. Et ut firmius praedicta observentur, volumus, et mandamus, quòd in licentiis concedendis dictis religiosis et saecularibus clericis expressè ponatur clausula tenoris sequentis: *Ita tamen quòd nomina illorum qui vobis confitebuntur, conscribere teneamini, et tradere parrochiali curato illorum: aliàs praesens licentia nostra nullius sit valoris, vel momenti.*

Quòd curati teneantur ponere in eodem libro nomina illorum, quos per albarana scient confessos esse, et communicasse.

Statuimus etiam quòd praedicti curati teneantur in dicto libro suo super eos fiendo, ponere nomina omnium qui eis, aut aliis confitebuntur, de quibus per libros, seu albarana, aut oraculo vivae vocis, ut praescribitur, erunt certificati; nec non nomina omnium, qui comunicabunt, seu de consilio suorum abstinuerint confessorum à perceptione Eucharistiae sacramenti, qui tales habentur *pro* excusatis, et ad aliam partem nomina omnium illorum, qui licet fuerint confessi, non comunicaverint; tum et ad aliam partem nomina omnium illorum, qui non fuerint confessi, nec comunicaverint anno illo.

Quòd praedicti vicarii, sive curati faciant copiam de dicto libro, quem tradant officiali nostro.

Statuimus etiam et ordinamus quòd quilibet dictorum curatorum omni anno sibi retentis originalibus faciant copiam de libro sic per eum tam ex sibi confessis, quàm per alios de quibus erit, ut praedicitur, certificatus, composito et facto: quem sine alia monitione, et mandato tradat, seu mittat officiali nostro de, et sub cujus officialatu existat, ut ejus parceatur laboribus, et expensis, vide-

licet usque ad decimam quintam diem post Pascha Dominicae Resurrectionis, quâ dominicâ cantatur *Ego sum Pastor bonus*, sub poenâ centum solidorum. Quae poena in tribus aequalibus partibus dividatur; quarum una operi sedis, alia fabricae illius ecclesiae, cujus erit rector, seu vicarius, et reliqua tertia procuratori fiscali domini episcopi adquiratur; ut ex hiis officialis certificatus, nos de praemissis valeat veridicè informare, seu providere ut animarum periculis congruentibus remediis sucurratur.

Quòd hi qui sacros ordines habent, et tamen sunt impediti ad missarum celebrationem, teneantur quolibet anno saltim quinque vices sumere sacramentum Eucharistiae.

Verùm quia ex sacratissimae Eucharistiae susceptione à malo retrahimur, et confortamur in bonum, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementa: cùm debeant quoque presbyteri, sicut praefulgent gradus honore, coeteros instruere opere virtuoso: idcircò praemissis adicere decrevimus, quòd presbyteri cujuscumque gradus, aut dignitatis existant, qui senio, aut alia legitima causâ à celebrationis exercitio sunt, aut erunt de coetero excusati, ut edificent exemplo, et coeteros tam clericos, quàm laycos ad salutem animarum perducant, quinque vicibus saltim in anno quolibet publicè in missis solempnibus in ecclesiis, ubi moram traxerint, videlicet diebus Nativitatis Domini nostri Jesu Xpti., Resurrectionis ejusdem, Pentecostes, et Assumptionis Beatae Virginis gloriosae et in celebratione Omnium Sanctorum comunicare teneantur. Item quòd beneficiati, qui non erunt presbyteri, sed erunt in sacris ordinibus constituti, eorum vestigia insequentes teneantur totidem, et similibus diebus anno quolibet etiam publicè in ecclesiis, ubi moram traxerint, comunicare.

Item quòd alii beneficiati non presbyteri, aut in sacris non constituti teneantur ter, aut saltem bis quolibet anno comunicare juxta constitutionem in sacro Terraconensi concilio editam, quae incipit: *Item cum clerici*, scilicet diebus Nativitatis Domini, et Resurrectionis ejusdem, et Pentecostes. Item quod coeteri utriusque sexus christiani, qui ad annos discretionis pervenerint, exortentur juxta sacrorum canonum statuta ter in anno comunicare, sed ad minus semel compellantur per eorum curatos juxta canonem *Omnis utriusque sexus*, et constitutionem provintialem superius editam in sacro Terraconensi concilio, quae incipit: *Ne citra ea* &c.

Quòd curati reverenter, et devotè tractent sacra.

Volumus insuper et ordinamus quòd rectores et alii curati quibus ex animarum curâ onus incumbit, sic circa celebrationes missarum, collocationes sacramentorum, et alia officia divina, et ecclesiarum regimina sint attenti, ut eorum exemplo coeteri inducti tam clerici quàm layci, in executione divini cultus reddantur efficatiores, et de animabus et curis sibi comissis Altissimo valeant debitam reddere rationem.

Quòd omnes beneficiati non curati teneantur pro qualibet libra reddituum suorum beneficiorum tres in anno missas celebrare.

Sanè quia exigui missarum celebratione animae fidelium tam vivorum, quàm deffunctorum à peccatis purgantur, vitae atque salutis aeternae suffragia consequuntur, et ut piis votis instituentium ecclesiastica beneficia satisfiat, et fidelium mentes ad alia instituenda devotius inducantur;

ordinamus quòd coeteri beneficiati non curati residentes in beneficiis suis teneantur secundum quotam quantitatem, quam recipiunt de beneficiis suis, in ecclesiis et altaribus ubi eorum beneficia sunt instituta, pro valore cujuslibet librae reddituum, quos inde habet, ad minus tres in anno missas celebrare, aut ibidem facere celebrari per alios presbyteros substitutos. Salvis tamen semper instituentium dispositionibus, quae frequentiores celebrationes et servitia exigunt, et disponunt.

Quòd ponantur substituti in beneficiis absentium, quibus provideatur de quartâ parte reddituum.

Providemus insuper ad servitia beneficiorum absentium, quòd illis deserviatur per praesentes et residentes, petitâ prius et obtentâ à nobis seu nostro vicario generali licentiâ serviendi, ut in aliis constitutionibus praedecessorum nostrorum est cautum. Et ut pro labore servitutis remuneratio uniformiter subsequatur, cùm in hoc non reperiamus esse provisum, statuimus de consilio praedictorum, quòd taliter servitio substitutus habeat quartam partem reddituum illius beneficii, cui deserviet, ut est dictum, nullâ factâ deductione onerum, vel compensâ. Et haec taxa in totâ nostra diocesi generaliter observetur. Exceptis tamen constitutionibus, et consuetudinibus nostrae ecclesiae Dertusensis circa substitutos comensalium ejusdem, ac dispositionibus instituentium circa servitutes aliter disponentium, in quibus nullatenus intendimus aliquid immutare, derogare, seu innovare.

Quòd substituti teneantur celebrare pro qualibet libra quartae partis septem missas quolibet anno in altari sub cujus invocatione est institutum beneficium.

Et ut debitum servitium impendant pro remuneratione laboris, etiam statuimus quòd quilibet substitutus in altari invocationis illius beneficii, ad quod serviendum substituitur, septem missas pro qualibet libra quartae partis, quam pro dicta servitute, ut est dictum, percipiet, celebrare teneatur; super quibus et de quorum tam residentium, quàm substitutorum celebratione procuratores presbyterorum ecclesiarum si ibidem fuerint, alioquin curati in quolibet ecclesiâ regentes teneantur sua facere protocolla, ac scripturas, ubi missas, quae per beneficiatos, aut eorum substitutos celebrabuntur, omni fraude cessante conscribantur. Et si beneficiatus, seu ab eo substitutus, ut praemittitur, cessaverit celebrare, defalsetur, et detrahatur tali servitium negligenti tantum, quantum cessaverit pro quotâ cujuslibet missae, ut est superius ordinatum; et illud quantumcunque fuerit per rectorem illius ecclesiae, vel vicarium, ac per procuratorem presbyterorum, ubi talis procurator fuerit, concorditer detur, et distribuatur in alios presbyteros, qui dictas missas supplent, ac celebrent, ut est dictum. Quòd si de distributione hujusmodi concordare nequiverint curatus et procurator, ex tunc illa quantitas sacristiae illius ecclesiae pro reparationibus, seu ornamentis ejusdem adquiratur. Et ut ad praemissa conscribenda dicti procuratores, aut suo casu curati attentius inducantur, cùm sentiens onus, et commodum sentire debeat, detur illi conscribenti quarta pars illius quantitatis, quae ex talibus negligentibus substrahetur, residuis tribus partibus in missis, aut repa-

rationibus, seu ornamentis distribuendis, ut supra dicitur, et continetur; adiciendo quòd sicut curatus de confessionibus et communione suorum parrochianorum tenetur reddere rationem; sic pari modo procurator aut curatus suo loco de celebrationibus conscriptis, et cessatis, atque supletis per beneficiatos, et eorum substitutos eodem, aut simili libro teneantur nobis, aut officialibus nostris in dominicâ, quâ cantatur *Ego sum Pastor bonus*, reddere rationem.

Quòd fiant capbrevia in ecclesiâ.

Quia per constitutiones bonae memoriae domini Sancii, quae incipit: *Quia rei evidentia*: et Eneci, quae incipit: *Cupientes animarum statui*, archiepiscoporum sanctae ecclesiae Terraconae salubriter et latè disponitur, quòd in qualibet ecclesiâ fiant capbrevia censualium, et reddituum earundem, et beneficiorum ibidem institutorum, quae in communi archivo ponantur &c. quae tamen constitutiones in hac nostra diocesi nullatenus, aut negligenter fuerint ad debitam executionem deductae; eo propter de praedictorum consilio mandamus illas ad debitam executionem deducendo omnibus et singulis, quos dictae constitutiones comprehendunt, quatenus infra annum à Dominica in Albis proximè instanti connumerandum, dicta capbrevia faciant, et in termino statuto ad libros confessionum exibendos illa sic facta capbrevia exibeant, ut in dictis archivis ulterius poni valeant, et recondi.

Quomodo rectores et alii curati se debeant presentare episcopo.

Quamvis per constitutionem recolendae memoriae domini Berengarii, praedecessoris nostri, incipientem: *Item*

statuimus, caveatur quòd rectores et coeteri presbyteri nostrae diocesis ex quacunque causâ ad civitatem Dertusensem venerint, coram episcopo, seu ejus vicario generali teneantur certis diebus sub certis poenis ibidem contentis se praesentare, prout in eadem latius continetur. verum nos dictam constitutionem benignius moderantes de praedictorum consilio solùm in rectoribus, et eorum vicariis eandem constitutionem decrevimus observari, sublato etiam quòd dicti rectores, et vicarii primâ presensentatione factâ ulterius de triduo in triduum se representare minimè teneantur.

De hiis qui intervenerint in matrimoniis clandestinis.

Attendentes, et considerantes quòd nos aliàs certis motivis inducti disposuerimus, et ordinaverimus quòd omnes intervenientes in matrimoniis clandestinis, et quae sine bannorum editione fierent, sententiâ excommunicationis innodentur; verum quia plures interessentes in sponsalibus, editionibus dictorum bannorum, legitimam ignorantiae causam habentes, in dictas poenas incidebant; ut animarum periculis obvietur, de consilio praedictorum praedictam poenam excommunicationis precisse quoad principales contrahentes, et illum seu illam qui eosdem desposaverint, manus aut juramenta recipiendo, seu verba inter eos de praesenti proferendo, statuimus et volumus locum habere. Absolutionem omnium illorum qui praedictas excommunicationis sententias incurrerint, nobis, seu successoribus nostris, ac nostri, aut ipsorum vicariis generalibus reservando. Aliis poenis in constitutionibus super hiis editis, in suo robore duraturis.

Quòd annus inter beneficiatos simplices, sicut in curatis incipiat primâ die Madii.

Quoniam matre experientiâ et relatione veridicâ informati didicimus, quòd ex incertitudine temporis inter beneficiatos simplices nostrae diocesis super dimissione fructuum multae oriuntur quaestiones: idcircò ad dictas quaestiones et controversias sedandas, de consilio praedictorum ordinamus quòd sicut in beneficiis curatis in dictâ diocesi quoad fructus et redditus computandos die primâ Madii annus incipit; sic in aliis beneficiis non curatis per totam diocesim universaliter eadem die, scilicet primâ Madii, annus incipiat currere. Et inter praedecessores, et successores aequaliter servatâ prorratâ temporis omnes fructus, redditus, et proventus dictorum beneficiorum dividantur, ac onera solvantur, et supportentur, ut in omnibus beneficiis tam curatis, quàm simplicibus uniformiter aequalitas observetur.

De lectis tenendis in abbatiis.

Quaerellosis rectorum nostrae diocesis clamoribus ad nos pervenit, quòd cùm in constitutione domini Arnaldi praedecessoris nostri, quae incipit: *Item quia jure testante;* et ejus declaratoriâ quae incipit: *Quia constitutio nihil debet* &c. contineatur certus numerus lectorum tenendorum abbatiis suarum ecclesiarum, vix habitâ differentiâ de ecclesiarum valoribus, quod incongruum esse videtur, cùm juri consonum existat, ut onera sequantur formam, et sortem emolumentorum: idcircò dictam constitutionem moderantes, de consilio praedictorum prioris et capituli ordinamus, quòd habentes ecclesias in valore reddi-

tuum juxta arrendamenta earum, seu prout commodè et communi existimatione arrendari possent, usque ad XX. libras, habeant tenere saltem unum lectum. Et habentes à supra usque ad quinquaginta libras, duos. A supra verò usque ad octoginta libras, tres lectos. A supra quoque usque ad centum, quatuor electos. A supra centum verò libras habentes, quinque lectos tenere ibidem, et habere proprios teneantur juxta constitutiones praedictas. Quas in aliis volumus in suo robore permanere. Et insuper ainas, seu hostilia ad domus servitium et opus culinae condecentes, prout cuilibet abbatiae fuerit congruum, et opportunum, tenere successoribus suis, et dimittere teneantur.

Synodus D. Guillermi de Torelles, episcopi Dertus. (*a*).

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

Constitutiones editae per reverend. in Xto. patrem, et dominum Guillermum, episcopum Dertusensem, quarto die Madii in synodo per ipsum celebratâ anno Domini M.CCC.LXXVIII.

De horis dicendis.

Cùm ex constitutionibus synodalibus dominorum Petri, et Berengarii bonae memoriae praedecessorum nostrorum, omnes rectores, vicarii, et clerici habentes beneficia curata, vel simplicia in civitate, aut diocesi Dertusensi, et alii in sacris ordinibus constituti, in civitate praedictâ,

(*a*) Qui post Barchinonenses infulas Dertusensis episcopus renuntiatus est anno 1369, eoque munere usque ad mortem functus est, quae decennio post contigit.

vel diocesi residentes, teneantur dicere, seu recitare divinum officium, horas videlicet canonicas diurnas, et nocturnas, et alia divina officia celebrare juxta modum, ritum, et consuetudinem ecclesiae Dertusensis, ac presbyteri cappellanias perpetuas, vel annuales in ecclesiis dictae civitatis vel diocesis obtinentes, teneantur cum superpelliciis interesse missis et omnibus horis diurnis pariterque nocturnis, quas in ecclesiis in quibus dictas cappellanias habent, vel habuerint in futurum contingerit celebrari; et in paucis ecclesiis curatis, seu parrochialibus jam dictae nostrae diocesis dicuntur altâ voce matutinae, missae, et vesperae: idcircò praedictas constitutiones dictorum nostrorum praedecessorum approbantes, cum consilio et assensu venerabilium Michaellis Zirera, prioris majoris, et capituli nostri, ordinamus, et in virtute sanctae obedientiae praecipiendo mandamus, quatenus perpetuò in omnibus ecclesiis civitatis, vel diocesis Dertusensis pulsetur ad omnes horas canonicas. Et saltim ubi fuerint quatuor, aut plures beneficiati perpetui, aut habentes cappellanias annuales, habeant dicere, et cantare altâ voce matutinas, missam, et vesperas. Et qui dictis matutinis, missae, vesperis qualibet die non interfuerit, ultra poenas in constitutione synodali appositas, careant illâ die distributionibus quotidianis, quae contigerit, eadem die, vel aliâ, distribuendis, qui interfuerint horis et officiis supradictis.

Quòd rectores de bonis per ecclesiam adquisitis non possint ordinare cappellanias, vel anniversaria extra diocesim Dertusae.

Quia nonnulli rectores nostrae civitatis, et diocesis Dertusensis in suis testamentis, vel ultimis voluntatibus de bonis mobilibus, seu se moventibus per ecclesiam ad-

quisitis, etiam de immobilibus per dictos rectores de bonis mobilibus per ecclesiam adquisitis legarunt, dederunt, aut alias distribuerunt extra suas ecclesias et sedem, vel diocesim Dertusae, ordinando cappellanias, anniversaria, vel alias pias causas contra dispositionem et mentem constitutionum synodalium ecclesiae Dertusensis, concedentium rectoribus dictae civitatis et diocesis testari de praedictis bonis, legando ecclesiae Dertusensi, vel propriae, vel ad cappellanias, vel anniversaria infra diocesim Dertusensem, vel pro aliis piis locis, vel amore Dei, aut quibuscunque locis et personis capacibus; idcircò dictas constitutiones in notitiam deducere cupientes, cum consilio et assensu venerabilium prioris, et capituli nostri, constituimus et ordinamus quòd si aliquis dictorum rectorum ordinaverit in testamento, aut ultimâ voluntate, sive aliàs cappellaniam, vel anniversaria extra ecclesiam, vel diocesim Dertusensem de bonis mobilibus, seu se moventibus ab eis per ecclesiam adquisitis, aut de bonis immobilibus emptis per eos de bonis mobilibus ab eisdem per ecclesiam adquisitis, hujusmodi ordinatio sit eo ipso nulla. Quodque praedicta bona mobilia, seu se moventia, aut bona immobilia praedicta vel censualia jura, sive redditus quicumque empta, et empti de bonis supradictis assignata, sive assignati per ipsos rectores cappellaniis, vel anniversariis celebrandis, et fiendis extra praedictam Dertusensem diocesim, vel ecclesiam propriam possint venditari, exigi, et haberi per nos, vel successores nostros; convertendos, per nos, vel successores nostros in cappellanias, vel anniversaria in propriâ ecclesiâ, vel in civitate, vel diocesi Dertusensi. Descernentes eo casu quòd semper praedicta censualia, jura, redditus praesumantur, reputentur, et habeantur esse empta, et emptos, seu habita, et habitos de dictis bonis, ut prefertur, per illius ecclesiam adquisitis.

Quòd nullus audeat tangere in lectis abbatiae.

Item licet in constitutione synodali bonae memoriae domini Arnaldi, praedeccessoris nostri, caveatur quòd rectores, et vicarii perpetui habeant tenere in abbatiis, sive hospitiis, seu domibus eorum quatuor, vel quinque lectos pannis paratos, prout in dictâ constitutione continetur; tamen frequenter contingit, quòd cùm dicti rectores moriuntur, vel infirmi existunt, manumissores, vel haeredes eorum, aut consanguinei, sive alij surripiunt, et occupant res, et bona, quae sunt in dictis abbatiis, hospitiis, sive domibus, et inde abstrahunt, et secum asportant, unde dictae abbatiae, seu domus, et hospitia remaneant sine lectis sufficienter pannis paratis, et eorum successores gravantur, et onerantur; idcircò cupientes providere ne talia de caetero committantur, cum consilio, et assensu dictorum venerabilium prioris, et capituli nostri, statuimus et ordinamus, quòd si quis praedictas res, et bona, quae sunt, vel fuerint in dictis abbatiis, sive hospitiis, vel domibus praedictorum rectorum, et vicariorum, vel aliquid de dictis bonis, et rebus acceperit, seu occupaverit, et de praedictis abbatiis, hospitiis, seu domibus abstraxerit, et secum asportaverit, sive praedicta fieri mandaverit sine licentiâ nostrâ, vel successorum nostrorum, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat.

Quòd celebretur synodus primâ dominicâ post festum Paschae.

Cùm ea quae de novo emergunt, videantur novo auxilio indigere, et in civitate Dertusensi à duobus annis citra fuerint ordinatae feriae, sive nundinae quae incipiunt

dominicâ in Albis, et durant per XV. dies, infra quos interveniat dominica, quâ cantatur *Ego sum Pastor bonus*; ad quas quidem nundinas veniant plures gentes, maximè die dominicâ, in qua consuevit celebrari sancta synodus in ecclesiâ Dertusensi; et propter hoc rectores, et alii qui ad dictam synodum venire tenentur, non possunt in dicta civitate commodè hospitari: idcircò nos cum consensu venerabilium prioris et capituli nostri, ac dictâ synodo approbante statuimus et ordinamus, quòd de coetero durantibus dictis nundinis dicta sancta synodus celebretur dominicâ in Albis in nostrâ ecclesiâ Dertusensi. Ad quam omnes qui tenentur de jure, vel consuetudine, venire teneantur sub poenis in aliis constitutionibus synodalibus expressatis. Quas constitutiones in aliis volumus in suo robore permanere.

Institutio festivitatis beati Bernardi.

Item dictus reverendus dominus episcopus mandavit in dictâ sanctâ synodo publicari constitutionem provintialem super celebratione officii IX. lectionum in festo sancti Bernardi, et illam mandavit inter alias constitutiones synodales diocesis Dertusensis inseri, et apponi; cujus siquidem constitutionis tenor sequitur per haec verba.

Constitutio.

Guillermus, Dei, et apostolicae sedis gratiâ episcopus Dertusensis, ac comisarius ad celebrandum hac vice sacrum provintiale concilium Terraconae, quod in praesenti celebratur in civitate Barchinonensi, à sede apostolicâ spetialiter deputatus, reverendis in Xpto. patribus dominis episcopis, et venerabilibus religiosis viris abbatibus, prio-

ribus, et prepositis, ac nobis in Xpto. dilectis universis, et singulis rectoribus et vicariis perpetuis infra Terraconensem provintiam constitutis, vel eorum loca tenentibus praesentibus et qui pro tempore fuerint, ad quos praesentes pervenerint, salutem in Domino nostro Jesu Xpto.; et mandatis nostris, immò verius apostolicis, firmiter obedire. Cùm in dicto sacro provintiali concilio per venerabilem, et religiosum virum fratrem Petrum Dei gratiâ abbatem monasterii Sanctae Mariae de Benifesano, ordinis cisterciensis, Dertusae diocesis, fuerit ipsi sacro concilio humiliter supplicatum, quòd cum beatus Bernardus ordinis ejusdem, doctor egregius, Deo devotissimus, sit in divinis officiis, et obsequiis quasi incognitus in aliquibus ecclesiis hujus provintiae Terraconae; cujus nomen et vita et floribus floret ubique ecclesia sancta Dei, et universus mundus illuminatur ejus religione, meritis et doctrinâ; dignaretur sacrum concilium ad laudem, et gloriam Dei, et beatae virginis Mariae, et in commemorationem ejusdem beati Bernardi statuere, seu ordinare festum, seu officium IX. lectionum annis singulis die ipsius festivitatis de coetero in ecclesiâ Dei per totam Terraconensem provintiam celebrandum. Nos verò in dicto concilio praesidentes, volentes et affectibus cupientes inter alios egregios ecclesiae doctores beatum Bernardum eximium doctorem, et confessorem attollere, vocibus et laudibus personare, et spiritualibus honoribus venerari, cujus quippè doctoris perlucida et salubria documenta ecclesiam illustrarunt: pro tanto ad gloriam et honorem Dei et beatae virginis Mariae, cujus devotissimus ipse doctor extitit, ejusque laudem et honorem, de consilio, et assensu dicti sacri concilii constituimus et ordinamus, quòd annis singulis et perpetuis temporibus in omnibus ecclesiis cathedralibus, collegiatis, et conventualibus, ac monasteriis et

aliis ecclesiis provintiae Terraconae, tam exemptis, quàm non exemptis, in die festivitatis ipsius sancti Bernardi doctoris IX. lectionum officium solempnizetur, et celebretur. Vos in Domino exortantes, ac vobis mandantes, et cuique vestrum auctoritate praedictâ, quatenus dictum officium IX. lectionum quilibet in ecclesiis vestris de coetero celebretis, et celebrari annis singulis et perpetuis ipsâ die faciatis, retributionem ab illo sperantes, qui est omnium retributor. Et in praemissorum testimonium praesentes fieri, et nostri appensione sygilli jussimus communiri. Datis Barchinonae XVIII. die Decembris, anno à nativitate Domini MCCCLXXVII. *Vidit episcopus Dertusensis Guillermus.*

Rubrica de officio beatae Mariae.

Item dominus episcopus ordinavit, et statuit, quòd illis temporibus in quibus in diebus sabbatinis fit officium beatae Mariae, quòd etiam in diebus sabbatinis in quibus fuerit festum IX. lectionum simplex fiat officium in die lunae sequenti, nisi similiter in dicta die lunae fuerit festum IX. lectionum; quia tunc fiat officium in die martis sequenti, nisi similiter in die martis interfuerit aliud festum IX. lectionum; quo casu fiat aliâ die proximè venienti, quo non fuerit festum IX. lectionum.

Synodus D. Hugonis de Lupia et Bages, episcopi Dertusens. (*a*).

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

Constitutiones editae per reverendum in Xpto. patrem, et dominum dominum Hugonem, episcopum Dertusensem, XV. die Aprillis anno Domini millessimo tricentessimo octuagessimo octavo, in synodo per ipsum Dertusae celebratâ.

De honestate vestium clericorum.

Quia clerici in sacris constituti, praecipuè rectores, seu curati defferre debeant desuper indumenta rotunda et clausa nimiâ brevitate, vel longitudine non notandâ, etiam non botonata ante de pectore usque ad pedes; et aliqui praedictorum in praemissis excedant: idcircò nos Hugo miseratione divinâ Dertusensis episcopus, sacram synodum in nostrâ diocesi et in Dertusensi ecclesiâ celebrantes, cum consilio venerabilium prioris, et capituli dictae nostrae ecclesiae Dertusensis, dictum excessum corrigere cupientes, ordinamus quòd praefati clerici in sacris constituti, rectores et vicarii utantur vestibus non nimis scotatis, longis, vel brevibus cum debito colore, et debitâ formâ, ac congruenti, et non botonatis. Ita quòd botones non portent in dictis indumentis superioribus, sive sit gramasia, aut supertunicale, vel tabargium, vel aliud indumentum superius quocunque nomine nuncupentur. Verumtamen si in manicis supertunicalium, vel tunicarum, quas tamen manicas non portent magnas, et amplas ad

(*a*) Rexit hanc ecclesiam Luna, Valentinam sedem occupavit ab anno 1387 ad 1398 quò à Bened. XIII. Petro scilicet de Luna, pavit; ubi tandem moritur anno 1427.

modum aliube: nec in illis portent gorgeriam nimis altam et eminentem voluerint portare botones, nisi sex non portent. Addicientes insuper quòd non utantur sotularibus nimis apertis, et scotatis, et sine punctis, seu restris, sed tantum apertis ut pes possit intrare. Mandantes observare constitutiones canonicas provintiales et synodales nostrorum praedecessorum super praedictis editas. Et qui contra praedicta fecerit, pro qualibet vice, quâ fecerit, poenam quinque solidorum incurrat ipso facto, operi nostrae sedis applicandorum. Intentionis nostrae tamen est quòd haec praesens nostra constitutio incipiat valere, et tenere tantum statim post festum proximè Ascensionis Domini.

Quòd rectores utantur propriis libris: et corpus Xpti. honorificè teneant: et infra certum tempus constitutiones tam provintiales, quàm synodales teneant.

Item cùm nos episcopus praedictus in visitatione, quam pridie fecimus, in nostrâ diocesi Dertusensi invenerimus quae secuntur, scilicet, in aliquibus ecclesiis dictae diocesis esse libros alterius diocesis, et consuetudinis ejusdem: et licet jam fuerit inhibitum rectoribus earundem per nostros praedecessores, quòd dictos libros non tenerent, nec eis uterentur in dictis officiis, et quoscunque alios haberent, qui essent ad usum, et consuetam ecclesiae nostrae Dertusensis, et non fecerunt: item et in aliquibus ecclesiis nostrae diocesis corpus Xpti. ad comunicandum non teneatur ut decet: nec non etiam multi rectores praedictae nostrae diocesis non tenent in suis abbaciis vel ecclesiis constitutiones provintiales et synodales, et sic eas nesciunt, et per consequens observent. Quare cum consilio et assensu dictorum venerabilium prioris, et capituli pre-

videmus, et ordinamus, quòd rectores dictarum ecclesiarum habeant, vel providere faciant per illos qui ad hoc tenentur, quòd hinc ad festum Resurrectionis Domini proximè instans habeant libros dictae ecclesiae pro fiendo officio, cum eisdem et secundum consuetudinem, vel consuetam ipsius nostrae ecclesiae, et expellant alios dictae alterius diocesis, et illis ex tunc non utantur: alioquin incurrant poenam decem librarum; et etiam de bonis suis faciemus fieri libros alios secundum usum et consuetam dictae nostrae ecclesiae Dertusensis. Item quòd usque ad proximum instans festum Sancti Michaelis faciant, vel procurent fieri quòd corpus Xpti. in loco decenti servetur, et teneatur reverenter, et hoc sub poena XL. solidorum. Item etiam cùm multi rectores, ut praemittitur, non teneant, nec servent constitutiones provintiales, et synodales dictae ecclesiae Dertusensis contra constitutionem synodalem jam super hoc factam per predecessorem nostrum; ideò stabilimus quòd quilibet dictorum rectorum qui illas non habeant, eas habeant, et teneant hinc ad festum Nativitatis Domini proximè venturum, alias poenam XXX. solidorum ipso facto incurrant, operi dictae sedis applicandorum. Preterea de consilio dicti nostri capituli laudamus, et approbamus, et confirmamus constitutionem per dominum Jacobum predecessorem nostrum editam, ut rectores nostrae diocesis possint condere testamenta, relictis nobis, et successoribus nostris XIII. solidis de eorum bonis tempore mortis suae, quae quidem constitutio incipit: *Item licet in signum universalis dominii dominus Petrus, et dominus Franciscus bonae memoriae &c.* quascunque constitutiones in contrarium factas annullantes, et poenitus revocantes.

Confirmatio per dominum Hugonem facta constitutionum, et rerum infra contentarum.

Revevendus in Xpto. pater et dominus Hugo, divinâ miseratione Dertusensis episcopus, in suâ Dertusensi ecclesiâ sanctam synodum celebravit, praesente venerabili priore et capitulo ecclesiae ante dictae, nec non praesentibus rectoribus civitatis et diocesis Dertusensis, vel eorum loca tenentibus, et ibidem legi fecit, et *publicari* quasdam constitutiones, et ordinationes editas per reverendum patrem dominum cardinalem dominum Petrum de Luna legatum, pro ut ipse mandavit. Quae fuerunt lectae, et publicatae, seu pro lectis et publicatis habitae. Mandans ipse dominus episcopus praedictis rectoribus quatenus ipsas constitutiones habeant et observent. Praeterea fecit legi, et publicari constitutiones provintiales antiquas, quae fuerunt pro lectis, et publicatis *habitae*. Et spetialiter fecit legi et publicari constitutiones editas in concilio provintiali ultimo celebrato Terraconae, quae etiam fuerunt habitae pro lectis et publicatis, mandans ipse dominus episcopus dictis rectoribus, ut dictas constitutiones habeant, et observent. Item fecit legi et publicari constitutiones synodales quae fuerunt habitae pro lectis et publicatis, mandans &c. Ulterius legi et publicari fecit constitutiones et ordinationes infra scriptas, per ipsum dominum episcopum editas. Item dictus dominus episcopus de consensu venerabilium prioris et capituli ordinavit, quòd de festo Beati Anthonii confessoris, et Conversione Sancti Pauli et Commemoratione ipsius, et etiam in festo Sanctae Teclae ac in festo Conceptionis Beatae Mariae fiant duo cantores in quolibet festo praedictorum in ecclesiâ Dertusensi. Mandavit ideò quatenus

idem observetur, et fiat per omnes ecclesias tam civitatis, quàm diocesis Dertusensis. Et rectores omnes habeant de praesenti ordinatione copiam, seu translatum et ipsam observent, aliàs ipsos graviter puniemus. Item cùm infra octavas communes, sive non solempnes infra annum occurrentes, dies dominica saepe soleat evenire, in qua secundum consuetam, et ordinationem dictae nostrae ecclesiae Dertusensis debeat fieri officium, sicut in die ipsius festi cum lectionibus propriis, et festum novem lectionum in dictâ dominicâ evenîens hoc impediebat: ideò nos praedictus episcopus statuimus quòd ammodo in dictâ nostrâ ecclesiâ Dertusensi, et in aliis civitatis et diocesis Dertusensis de coetero in dictâ dominicâ fiat officium proprium dominicae infra octavas. Et officium festi novem lectionum mutetur in feriâ secundâ sequenti, vel die aliâ non festivâ.

Quòd feriâ V., VI., et Sabbato Sancto dicatur oratio ad horas.

Et insuper cùm feriâ V., VI. et Sabbato septimanae sanctae ante pascha horae diurnae, et nocturnae fiant tantum cum *Pater noster* et Psalmo *Miserere mei Deus*, et sine aliquâ oratione; in aliisque ecclesiis multis provintiae Terraconae cum oratione praedictae horae in dictis diebus decentius firmantur: ideò nos praedictus episcopus cum consilio, et assensu dicti venerabilis capituli nostri ordinamus, quòd ammodo omnes praedictae horae finiantur post psalmum *Miserère, mei Deus* cum oratione scilicet *Respice Domine Deus super hanc familiam tuam*. Et sic fieri ubemus tam in nostrâ ecclesiâ Dertusensi, quàm in aliis ecclesiis civitatis et diocesis Dertusensis.

Synodus habita sub episcopo Dertusensi D. Joanne Fabra (a).

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

Anno Domini M.CCC.LIX. dominus Joannes episcopus Dertusensis celebravit primam synodum, in qua edidit constitutiones sequentes.

Quòd clandestina matrimonia non fiant, et quòd banna edantur in ecclesiâ.

Quoniam matrimonia clandestina ideò à jure reprobantur, quia cum alter eorum conjugalem effectum se ad alteram habuisse negare voluerit, legitimis probationibus convinci non poterit, multique remaneant copulati contra canonum statuta, et in nostra dioc. saepe frequententur, ut reperimus visitationis officium exercentes; ideò nos Joannes, miseratione divinâ episcopus Dertusensis, cupientes huic morbo salubre remedium adhibere, de consilio, et assensu nostri capituli constituimus et ordinamus quòd ante quàm matrimonia, sive sponsalia per verba de praesenti contrahantur, fiant banna publicè in ecclesiâ loci sive parrochiae, ubi degent qui hujusmodi sponsalia, sive matrimonia contrahere voluerint. Si verò unus in uno loco, sive parrochiâ, et alter in alio loco, sive parrochiâ habitaverit, in utraque ecclesiâ dictorum locorum, seu dictarum parrochiarum dicta banna publicè fiant per duos dies dominicos, vel festivos, et etiam illâ die, quâ in ecclesiis ipsa matrimonia solemnizabuntur. Aliàs rectores, vel vicarii

(a) Huic sedi praesul datus est ab Innocentio VI. anno 1357, quam tenuit usque ad 1362 quo Carcassonensis episcopus renuntiatus est.

perpetui, aut eorum loca tenentes talia matrimonia in ecclesiis non solemnizent, seu hiis, qui sic clandestina contraxerint, benedictionem nuptialem non audeant celebrare sub poena centum solidorum, quam ipso facto incurrant si contrarium fecerint; nisi de licentiâ nostrâ, vel officialium nostrorum aliter se habuerint in praemissis. Verùm si contrahere volentes in diversis locis sive diversis parrochiis deguerint, ut praefertur, rectores vel vicarii perpetui aut ipsorum loca tenentes habeant sibi invicem banna per eos edita notificare; aliter in poenam incidant supradictam. Coeterùm si aliqui, vel aliquae, qui fuerint de aliâ diocesi, in nostrâ diocesi sponsalia per verba de praesenti seu matrimonia contrahere voluerint, dicta banna fiant secundum modum praedictum in ecclesiâ loci, seu parrochiae de quo, vel de qua fuerit ille, aut illa nostrae diocesis, cum quo, seu qua contrahere voluerint. Etsi tam ipse, quàm ipsâ de alienâ diocesi fuerint, ipsa banna edantur, ut praefertur, in ecclesiâ loci, vel parrochiae ubi habitare intendunt. Quòdque si in dictâ diocesi nostrâ habitare non intendunt, nec ad banna, nec ad benedictionem nuptialem admittantur sub poenâ praedictâ. In nullo casu tamen praedictorum proximè dicta banna faciantur, nec praefati curati matrimonia illorum solemnizent in ecclesiis suis, nisi habuerint ipsi extranei litteram testimonialem à curatis suis quòd legitimè contrahere possunt. Quòd si aliter fecerint, poenam praedictam incurrant etiam ipso facto.

Quòd haeredes, vel executores testamentorum infra unum annum compleant, et exequantur testamenta.

Item cùm nos episcopus praedictus dictum visitationis officium exercentes invenerimus, quòd defunctorum hae-

redes, et eorum executores negligenter et maliciosè se habent ad exequendum voluntates ipsorum defunctorum, cupientesque periculosae negligentiae perversaeque malitiae haeredum defunctorum, et eorundem ultimarum voluntatum executorum occurrere, utpotè voluntates potissimae piè defunctorum effectum debitum sortiantur: idcircò de consensu dicti capituli ordinamus, quòd omnes rectores aut vicarii perpetui, vel eorum loca tenentes moneant publicè in suis ecclesiis omnes manumissores sive executores testamentorum, et etiam haeredes defunctorum quater quolibet anno, in festo videlicet Pentheostes, Assumptionis Beatae Mariae, Omnium Sanctorum, et Purificationis Beatae Mariae, ut infra unum annum ab obitu illorum quorum sunt haeredes, vel manumissores computandum, exequantur, et compleant testamenta, et voluntates ipsorum defunctorum. Alioquin rectores, aut vicarii perpetui, vel eorum loca tenentes, qui in praemissis culpabiles, vel negligentes fuerint, pro *qualibet* denunciatione quam facere contempserint, poenam X. solidorum ipso facto incurrant.

Contra usurarios, et quòd publicetur quater in anno.

Praeterea cùm in constitutione domini Gregorii papae X. in concilio Lucdunensi editâ caveatur, quòd nullus manifestorum usurariorum testimoniis intersit, aut eos ad confessionem admittant, sive ipsos absolvant, nisi de usuris satisfecerint competenter, vel de satisfaciendo pro ipsarum viribus facultatum prestiterint idoneam cautionem: testamenta quoque manifestorum usurariorum aliter facta non valeant, sed sint irrita ipso jure: et in constitutione domini Clementis papae V. habeatur, quòd sepelientes propriâ temeritate audatiâ usurarios manifestos, sunt ipso

facto excommunicati: invenerimusque in dictâ visitatione quòd in omnibus fere locis nostrae diocesis ita crimen usurarum invaluit, ut multi aliis negotiis praetermissis quasi usuras licitè exerceant; ideò usurarum voraginem, quae animas devorat, et facultates exaurit, in quantum nobis possibile est, compescere cupientes, de consensu, et voluntate prefati capituli constituimus et ordinamus dictas constitutiones inviolabiliter observari, ipsasque publicari, et notificari publicè quando major populi multitudo venerit ad divina per rectores, vel vicarios perpetuos, aut eorum loca tenentes in ecclesiis suis quater in anno quolibet, in festis, scilicet, supradictis in proximè praecedenti constitutione nominatis. Alioquin poenam X. solidorum pro qualibet publicatione, quam omiserint, volumus ipsos incurrere ipso facto. Statuentes insuper et mandantes sub poenâ praedictâ, quòd praelibati rectores, aut vicarii, aut eorum loca tenentes in praedictis festivitatibus moneant publicè in suis ecclesiis, et nos etiam per presentem constitutionem monemus omnes parrochianos suos, quòd nullus audeat pravitatem usurariam exercere. Et si qui contrarium fecerit, praeter alias poenas in jure expressatas, noverit se sententiam excommunicationis incursurum.

Contra fratres minores et predicatores.

Item cùm in editâ decretali à domino Bonifacio VIII. cautum existat, quòd fratres predicatores, et minores electi, et praesentati praelatis in civitatibus, et diocesibus eorundem, confessiones confiteri sibi volentium audiant, imponant poenitentias salutares, ac beneficium absolutionis impendant: et nonnulli dictorum fratrum ut comperimus, non servatâ dictâ decretali octavi Bonifacii, de facto audierunt, et audiunt in nostrâ diocesi confessiones

confiteri sibi volentium, et imposuerunt, et imponunt poenitentias, et impenderunt, et impendunt beneficium absolutionis: eò propter volentes ut dicta decretalis observetur, ut saluti animarum nostrorum subditorum provideatur, de consilio et assensu praefati capituli statuimus quòd nullus rector, vel curam animarum habens in civitate et diocesi nostris, in ecclesiâ suâ audeat aliquem de praedictis fratribus ad confessiones hujusmodi audiendas recipere, nisi per nos, vel vicarium nostrum sibi notificatum fuerit, aut alias fuerit sibi notum, quòd *dictus frater* secundum formam ipsius decretalis fuerit electus, vel praesentatus nobis, vel in absentiâ nostrâ vicario nostro, ac per nos, vel vicarium nostrum admissus ad hujusmodi confessionis officium exequendum. Quicunque autem contrarium fecerit, poenae quinque aureorum ipso facto se noverit subjacere. Alios verò religiosos nemo admittat ad confessiones audiendum, nisi prout in juribus, vel constitutionibus provintialibus, aut synodalibus est consuetum. Porrò ad praedicandum nullum religiosum admittant in suâ ecclesiâ absque nostrâ, vel officialium nostrorum licentiâ spetiali; exceptis praefatis fratribus predicatoribus, et minoribus, quos admittere possunt secundum formam expressatam in dictâ decretali.

Quòd presbyteri nec in sacris constituti faciant comatres.

Item cùm in jam dictâ visitatione repertum fuerit, quòd quidam presbyteri comatres sibi fecerunt, et ex hoc in tantam cum eis commixtionem habuerunt; ne ergo hac occasione humani generis inimicus suâ eos, quod absit, calliditate decipiat, de voluntate, et consensu praedicti capituli ordinamus, ne aliquis presbyter, vel in sacris constitutus audeat sibi comatrem vel comatres facere

absque nostrâ licentiâ, vel officialium nostrorum. Quicunque autem contrarium fecerit, in poenam XX. solidorum incidat ipso facto.

Quòd clerici arma non portent, et quòd honestas vestes defferant.

Cùm inhonestum sit clerico, maximè in sacris ordinibus constituto, arma, et indumenta incongrua portare: ideò nos ad extirpandum clericorum inhonestatem, de consensu saepè dicti capituli, statuimus quòd nullus presbyter, vel alius in sacris ordinibus constitutus portet gladium, vel ensem, seu maneresium in parte dextrâ, sive sinistrâ, taliter quòd publicè videri possit, nec cingat se supra supertunicalem, vel cotardiam. Quòd si contrarium fecerit, poenae XX. solidorum subjaceat ipso facto. Per hoc tamen non intendimus eos aliter licentiare arma portare, statuentes, et monentes ipsos quòd tabargia, sive mantanos, et alia indumenta honesta habeant, et portent, ut in constitutionibus romanorum pontificum, et in provintialibus, ac synodalibus continetur, quas omninò praecipimus observari. Nam si de coetero inhonestè se habuerint in praemissis, sive remissâ, ultioni noverint se subdendos.

Quòd sarraceni non proclament nomen perfidi Mahometi.

Ad detestandum detestabilem, et nefandam professionem, et proclamationem nominis perfidi Mahometi, constitutionem super hoc editam per reverendissimum in Xpto. patrem, et dominum Joannem divinâ providentiâ patriarcham Alexandrinum, et administratorem in spiritualibus, et temporalibus ecclesiae Terraconae editam, quae

incipit: *Quamvis circa multa &c.* et usque nunc minimè observatam, de consilio, et assensu nostri capituli Dertusensis praecipimus observari. Mandantes cappellanis curatis nostrae ecclesiae Dertusensis, in quorum parrochiis, vel terminis eorum degunt sarraceni, quatinus in praecipuis festivitatibus altarium ecclesiarum suarum dictam constitutionem annuatim populo publicent, et exponant. Et si quis dominorum temporalium sarracenorum dominium obtinentium, infra ipsorum parrochiam constitutus dictam proclamationem fieri non prohibuerit, ut *in dicta* constitutione continetur, aut non prohibuerit dictos sarracenos simul cum christianis degentibus in diebus dominicis, et festivis servilia, seu mecanica opera coram christianis publicè operari, ut in eadem constitutione expressatur, nobis aut vicario nostro, vel officiali infra octo dies notificare teneantur: incursuri ipso facto, nisi fecerint, poenam centum solidorum, nostro aerario applicandorum.

Quòd sarraceni et judaei solvant decimas, et primitias.

Licet in canonibus caveatur quòd judaei, et sarraceni de terris, quas colunt, et de animalibus suis decimas, et primitias solverè teneantur, attamen non attendentes ad Deum à quo cuncta bona procedunt, cujus est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in ea, ac in signum universalis dominii quasi quodam titulo spetiali sibi decimas reservaverit, atque ab eo, et non ab homine sunt decimae institutae: et ipsas tamen decimas et primitias perversis machinationibus subtrahere moliuntur; nos igitur volentes ea, quae videmus fieri contra libertatem ecclesiae et jura ejusdem, occulis conniventibus pertransire, de consilio et assensu praedicti nostri capi-

tuli statuimus, et ordinamus quòd si aliquis sarracenorum contradixerit seu recusaverit solvere decimam, et primitiam de praedictis, quòd nisi ostenderit quare à solutione hujusmodi sit immunis, ad mandatum nostrum, vel officialis nostri, layci illius parrochiae, in qua dictus sarracenus habitaverit, seu domiciliatus fuerit, et in qua terra et animalia de quibus solvendae sunt decimae et primitiae sita fuerit, et ipsa animalia pascentur, moneantur quòd infra tres dies quos ei, et cuilibet ipsorum pro canonica admonitione assignamus, abstineant participare cum dicto sarraceno vel judaeo, et ex tunc donec satisfecerint competenter, non participent cum eodem, in loquendo, salutando, comedendo, et bibendo, emendo et vendendo, aut aliter participando. Et si desistere noluerit, seu contrarium fecerit, excommunicationi eo ipso se noverit subjacere.

Quòd sacristae ecclesiarum, sive operarii reddant computum infra mensem.

Cupientes eos, quos ad observantiam jurium virtutum praemia non inducunt, poenarum formidine à temerariis ausibus refrenare, transgressores constitutionis, quae statuit operarios et sacristas annuatim infra unum mensem de receptis et expensis per eosdem occasione sui officii successoribus suis in praesentiâ suorum rectorum, seu vicariorum, et juratorum loci fidelem rationem et computum reddere, et reliqua quae superfuerint, suis successoribus tradere, et assignare; de consensu dicti nostri capituli excommunicationis sententiae decernimus ipso facto subjacere. Mandantes omnibus rectoribus, vicariis perpetuis, et prioribus, vel eorum loca tenentibus nostrae diocesis Dertusensis, quòd in festo Omnium Sanctorum pro-

ximè venturo semel, et in primâ die dominicâ continuò sequente post electionem seu positionem, sive provisionem dictorum operariorum et sacristarum quolibet anno seu quando ipsi operarii, et sacristae electi, positi, sive facti fuerint, hanc constitutionem nostram populo publicent et exponant: quod si non fecerint, juxta voluntatem, et arbitrum nostrum punientur.

Quòd constitutio domini Arnaldi, quae incipit: Item quia jure &c. extendatur ad praesentes et futuros.

Quia constitutio nihil debet obscurum, vel ambiguum continere, et in dubium vertatur, an constitutio domini Arnaldi ultimi bonae memoriae Dertusensis episcopi, quae incipit: *Item quia jure testante &c.* astringat tantum rectores et vicarios ac priores, qui tempore editionis constitutionis fuerint, an et qui postea fuerunt, et erunt; dubitationem hujusmodi tollentes, de consensu dicti capituli, ordinamus praedictam constitutionem comprehendere, et ligare omnes et singulos rectores et vicarios perpetuos ac priores, qui tunc erant, et qui ex tunc fuerunt, et de coetero erunt.

Contra beneficiatos, et alios presbyteros, qui non intersunt divinis officiis.

Gravi nimirum turbatione movemur quòd quamvis de jure communi, et secundum constitutiones praedecessorum nostrorum super hoc editas, presbyteri beneficiati, seu cappellanias perpetuas, vel etiam annuales in ecclesiis civitatis vel diocesis Dertusae obtinentes, teneantur interesse continuè missis omnibus, horis canonicis diurnis pariter et nocturnis; nonnulli presbyteri beneficiati, seu dictas

cappellanias habentes in dictis ecclesiis nolunt, ut fide dignorum relatione didicimus, interesse missis, et aliis horis cum rectoribus, vel vicariis, aut prioribus, qui eas celebrent in eisdem. Volentes ergo, ut, quos divinus timor à malo non revocat, temporalis saltim poena coherceat à peccato: vestigiis praedecessorum nostrorum adherentes, ordinamus de consensu dicti capituli, quòd si praedicti presbyteri benefficiati, seu cappallenias perpetuas, aut annuales obtinentes in ecclesiis civitatis et diocesis Dertusae, vel qui eas obtinuerint in futurum non interfuerint cum superpelliciis, et sine caputiis in capite in missis et aliis horis canonicis praedictis in ecclesiis, in quibus sunt benefficiati, sive dictas cappellanias habent, si inibi dictis horis divina officia celebrentur, aut in ecclesiis parrochialibus infra quas sunt decem benefficia et cappellaniae institutae, poenis subsequentibus multentur: videlicet, qui missam non celebraverit, solvat quatuor denarios. Si missae majori non interfuerit, duos denarios solvat. Qui vesperis non interfuerit, alios duos. Qui denarii possint levari in nostrâ ecclesiâ Dertusensi per priorem claustralem nostrae ecclesiae, ac per eum compelli possint dicti presbyteri ad solvendum dictos denarios. In aliis verò ecclesiis per earum rectores, et vicarios perpetuos, vel eorum loca tenentes idem fiat. Et quidem denarii per dictos et quemlibet eorum largiantur pauperibus Jesu Xpti. Et si dicti rectores, et prior ac vicarii perpetui, vel eorum loca tenentes in levandis dictis denariis negligentes fuerint, in duplum, et alias ad nostrum arbitrium puniantur. In hac tamen constitutione non intelligantur ipsius nostrae Dertusensis ecclesiae presbyteri comensales, et alii presbyteri, nec benefficiati in eadem, de quibus est provisum per constitutionem dictae nostrae ecclesiae Dertusensis, quae incipit: *Scriptum esse novimus.*

Quòd nullus in sacris ordinibus constitutus, filium suum haeredem faciat, nec legatum dimittat.

Licet multae super clericorum continentiam patrum sententiae hactenus emanaverint; quia tamen nec adhuc ipsorum potuit morum correctio reformari, nos Jacobus, divinâ miseratione episcopus Dertusensis, cupientes quantum cum Deo nobis est possibile, à clero nostrae diocesis vitium hujusmodi radicitùs extirpare, *assistente* nobis nostro venerabili capitulo, sanctam synodum celebrantes, considerantes quòd parentes talium pro poenis sibi illatis hactenus nec fuerunt territi, nec in melius immutati, ut saltem pro hiis, quae eorum inferuntur filiis, terreantur, cum plus in filiis, quàm in se parentes timere soleant, juxta legitimas sanctiones; isteque sit unus de casibus, in quibus de jure protrahitur ultio, *nedum* in actores scelerum, sed etiam in progenie dam*pnatorum*; cum consilio dicti nostri capituli statuimus, quatenus nullus in sacris constitutus ordinibus prolem quam suam asserit, vel de agnatis quivis ex incestuosa, et ignominiosa susceptam coitu haeredem sibi in suo testamento instituere, vel legata aliqua facere, vel aliqua inter vivos, vel causâ mortis donare, vel donari facere per personas interpositas simulatè, et etiam fraudulenter praesumat, ut de multis sepius est repertum. Quòd si secus fuerit à quoquam attemptatum, institutio, legatum, seu donationes factae taliter ipso jure non valeant. Et haereditas et legata, et donata hujusmodi nostro fisco ipso jure sint adquisita, si de bonis per ecclesiam adquisitis facta fuerunt. In aliis verò bonis stetur juri communi: cum secundum leges communes etiam filii et suscepti taliter, nec sunt filii nominandi, nec agnicionem habeant, neque etiam sint alendi.

Quòd rectores ante mortem faciant inventarium de bonis suis.

Ad haec cùm per statuta tam provintialia, quàm synodalia ecclesiarum rectoribus sit concessum quòd de bonis per ecclesiam adquisitis sub certis formis testari valeant, parte tricesimâ nobis in bonis hujusmodi et nostris successoribus reservatâ; quia tamen saepè contingit quòd rectoribus hujusmodi vitâ functis aliqui praesertim defunctorum consanguinei, vel affines, servitores, vel poenitùs extranei bona per defunctos relicta hujusmodi rapiunt, furtim subripiunt, inter se dividunt, et alias fraudulenter occupare praesumunt in animarum eorum grande periculum, et non modicum perjuditium defunctorum, cùm saepius ex hoc voluntas eorum non valeat adhimpleri, pars nostra etiam tricesima diminuitur, ac etiam deffraudatur: volentes etiam justitiam nostram, qui alios tenemur in suâ justitiâ confovere: volentes etiam jam dictis periculis quantum cum Deo possumus obviare, de consilio nostri capituli statuimus, quòd rector quilibet vivens cum notario et testibus fidedignis in ultimis diebus suis ante conditum testamentum, vel paulò post faciat inventarium de omnibus suis bonis mobilibus, et immobilibus, et se moventibus quibuscumque. Quod nisi fecerint, pro nobis debita, quae per dominum Petrum bonae memoriae predecessorem nostrum, usque ad tricesimam partem, pro taxa sit pars decima nobis reservata. Ita quòd poenae nomine decima pars bonorum omnium per rectorem relictorum hoc qui inventario praedicto infecto decesserit, nobis ex integro debeatur.

Quòd rectores habeant, et observent constitutiones provintiales, et synodales.

Attendentes quòd licet secundum constitutionem synodalem omnes rectores dictae civitatis, et diocesis Dertusae debeant habere constitutiones tam provintiales, quàm synodales; tamen ut ipse dominus episcopus intellexit non omnes rectores habent constitutiones praedictas: ideò mandavit eis quòd ipsas constitutiones habeant, et illas firmiter custodiant, et observent, si institutam poenam contra non habentes easdem, et alias poenas in ipsis contentàs voluerint evitare.

Revocatio constitutionis, quae incipit: Quamvis in concilio Agatensi.

Item dominus episcopus cum consilio et assensu dicti capituli absolvit, et revocavit ex causa sententiam excommunicationis promulgatam in constitutione synodali contra comedentes carnes et cibaria judaeorum et sarracenorum, prout in ea continetur, quae incipit: *Quoniam in concilio Agatensi.* Quoad alia tamen contenta in dicta constitutione, ipsam voluit remanere, praecipiens dictis rectoribus quod in ecclesiis suis publicè moneant parrochianos suos, quòd à praedictis carnibus et cibariis abstineant omninò, et eis uti cessent, alias graviter peccarent.

Revocatio constitutionis, quae incipit: Ad haec, et ejus poenae.

Item cùm non debeat reprehensibile judicari si secundum qualitatem temporum statuta quoque varientur

humana, praesertim cùm urgens neccessitas, vel evidens utilitas id exposcat: idcircò memoratus dominus episcopus, attentâ utilitate dictorum rectorum, et alias ex causâ justa, et rationabili, et ad praeces dictorum rectorum revocavit constitutionem synodalem per ipsum factam in aliâ synodo super confectionem inventarii fiendi per rectores de bonis eorum, et pœnam in eâ contentam, quae quidem constitutio incipit: *Ad haec cum per statuta.* Retinuit tamen sibi et successoribus suis idem dominus episcopus tricesimam partem bonorum rectorum defunctorum; et qui de coetero decedent, remaneant in sui robore et firmitate juxta constitutionem synodalem super hoc editam, quae incipit: *Quamvis dominus Petrus.*

Declaratio constitutionis quae incipit: Quoniam matrimonia clamdestina.

Praeterea praefatus dominus episcopus cum consensu praedicti capituli concessit praedictis rectoribus, quòd monitiones fiendas ante celebrationem matrimoniorum secundum constitutionem synodalem, quae incipit: *Quoniam matrimonia clamdestina*, possint facere quolibet anno in tempore nuptiarum quod incipit in festo sancti Ilarii, et finit in septuagesimâ similiter unâ die, vel duabus, vel tribus, vel illâ die, seu diebus de qua, vel de quibus benè visum fuerit rectoribus supradictis; non obstante dictâ constitutione, quam tollimus, quantum ad istum casum. In aliis verò temporibus voluit, et mandavit ipsam constitutionem et contenta in ea in suo robore permanere.

Quòd per totam diocesim celebrentur festa hìc contenta.

Item cùm in ecclesiâ Dertusensi ex ordinatione ipsius fiat quolibet anno in qualibet septimanâ in die Mercurii officium IX. lectionum de Beato Augustino ad ejus honorem, et laudem, in cujus regulâ religio canonicorum dictae ecclesiae est fundata; neç non cùm in dictâ ecclesiâ sit ordinatum quòd in octavis Sancti Stephani, Sancti Joannis, et Sanctorum Innocentium celebrentur *octavae* IX. lection.; idcircò praefatus dominus episcopus cum consilio dicti capituli ordinavit quòd tam in ecclesiis civitatis, quàm aliis diocesis Dertusae, et per totam ipsam diocesim fiant, et celebrentur officia supradicta secundum ordinationes super hoc factas, et prout in eis continetur, de quibus praecipit idem dominus episcopus quòd omnes rectores habeant copiam et translatum, et observent: aliter eos graviter puniemus.

Qui casus sint episcopo reservati.

Cùm aliqui rectorum nostrae diocesis Dertusensis neciant casus poenitentiales nobis reservatos, et contingat interdum quòd audiunt confessiones confitentium, et illis poenitentias injungunt, eosque absolvunt in casibus supradictis, fueritque nobis propterea per dictos rectores humiliter supplicatum quòd per constitutionem ipsos casus declararemus, et ordinaremus, qui per nos et successores nostros essent retenti: idcircò habitâ informatione qui casus retinebantur per predecessores nostros; cupientes periculis animarum, quantum possumus providere, cum consilio et assensu venerabilis capituli nostrae ecclesiae Dertusensis retinemus nobis, et successoribus nostris poe-

nitentiales casus infrascriptos. Ita quòd nullus rector sivè vicarius aut quivis alius habens curam animarum, saecularis, aut religiosus civitatis, et diocesis nostrae Dertusensis absque licentiâ nostrâ, et nostrorum successorum, vel nostri et ipsorum successorum vicarii generalis aliquem ad confessionem et poenitentiam admittat, praeterquam in mortis articulo, in dictis casibus aut aliquo eorundem; sed illum confitentem sive confiteri volentem remittant ad nos; vel nostri successores, aut nostri et ipsorum vicarium generalem: alios autem casus concedimus dictis rectoribus, et aliis superius expressatis. Monentes eos, et in domino exortantes quòd in confessionibus audiendis et poenitentiis injungendis districtè, et cautè, et more periti medici se habeant, et prudenter intelligant, quale eis debeant prebere consilium, et cujusmodi remedium adhibere: praedicti siquidem casus per nos, ut prefertur, retenti sequuntur in hunc modum. Et primo si quis confitetur se credere haereticam pravitatem, sive esse receptorem, et fautorem haereticorum. Item clerici symonyaci, quocunque modo commiserint symoniam. Item clerici qui absque nostrâ licentiâ, vel successorum nostrorum ab alieno episcopo, aut praeter conscientiam nostram, vel dictorum successorum nostrorum, sive sine examinatione se fecerit promoveri. Item clerici per saltum promoti aliquo ordine pretermisso. Item apostatae in ordine suo, vel in suâ religione. Item non promoti ministrantes in officio divino, ac si essent promoti. Item illi qui suos filios occiderunt studiosè, vel negligenter, seu invenerint juxta se mortuos, et qui illos exposuerunt per se, vel per alios ad portam ecclesiae, vel in alio loco, si sit publicum, vel fama. Item illi qui tractaverint in malos usus Eucharistiam, sive Crysma. Item illi qui facto, verbo, consensu, vel alio modo homicidium pertractaverint, si sit puti-

cum, vel si sit fama. Item sacrilegi: videlicet interfectores, percussores, ac violatores clericorum, tam saecularium, quàm religiosorum, et invassores vel violatores ecclesiarum, et incendiarii, et auferentes sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro, vel non sacrum de sacro, et rem datam ecclesiae accipientes. Item retinentes contra ejus voluntatem, si sit publicum vel fama. Item et qui in ecclesia coierint cum muliere, vel alias per coitum ecclesiam polluerint, si sit publicum vel fama. Item qui luxuriam commiserint, seu compleverint cum matre, filiâ, vel sorore, vel aliâ consanguineâ suâ infra quartum gradum, aut cum sanctimoniali, vel monacâ consecratâ, vel non consecratâ, si sit publicum vel fama. Et qui cum judaeâ, vel sarracenâ, vel quae cum judaeo, vel sarraceno, vel bruto animali coire ausu temerario, et nephario praesumpserit, si sit publicum, vel fama. Item mulier quae ex adulterio conceperit infantem, quem maritus ejus credit esse suum, propter quem legitimi haereditate *paternâ* defraudantur. Item qui, vel quae fecerit abortivum, vel tractaverit, si sit publicum, vel fama. Item iterantes scienter babtisma, dum babtizans, quàm babtizatus. Item qui contra aliquem falsum tullerit testimonium in aliquibus causis, si sit publicum, vel fama. Item falsarii litterarum nostrarum, et nostrorum successorum, vel nostri, et ipsorum vicariorum, et officialium, et etiam falsarii litterarum domini nostri papae. Item maledici, hi qui contra Deum, vel aliquem sanctum, maximè qui contra beatam Virginem Mariam linguam blasfemam laxaverint. Item exercentes maleficia in matrimoniis vel ligamenta, si sit publicum, vel fama. Item committentes vitium carnale contra naturam, si est publicum vel fama. Item qui per vim violaverint, vel cognoverint aliquam mulierem carnaliter, si it publicum, vel fama. Item tenentes ad restitutionem

decimarum, vel primitiarum, et allarum obligationum, seu substractorum, sive illicitè adquisitorum excedentium summam XX. solidorum. Item et excommunicati à canonibus, vel constitutionibus provintialibus, vel synodalibus majori excommunicatione. Item et violantes, seu frangentes vota. Item si consanguinei, vel affines contrahunt matrimonia infra gradum prohibitum. Item si babtizatus et is qui illum suscipit de babtismo, vel idem babtizatus et ipsius suscipientis filii, et uxor prius cognita carnaliter, aut suscipiens, et babtizati pater, vel mater matrimonium contraxerint, aut alias inter eos perpetrabitur, seu commiscetur formicatio, sive adulterium: et quod de suscipiente dictum est, idem fiat de babtizante. Et quod praedictum est in casibus proximè dictis, idem servetur inter confirmantes, seu fronte crysmatos, et illos ad hoc tenentes. Item matrimonia clàmdestina contrahentes. Item portantes armà ferrea, et lignea sarracenis, et alias res prohibitas.

Quòd rectores pro tricesimâ parte bonorum dimittant in morte XIII. solidos episcopo.

Item licet in signum universalis dominii dominus Petrus, et dominus Franciscus bonae memoriae praedecessores nostri retinuerint, videlicet dominus Petrus decimam partem, et dictus dominus Franciscus tricesimam partem bonorum rectorum nostrae diocesis Dertusensis, quae habent tempore mortis ipsorum, ut in constitutione ipsius domini Petri, quae incipit: *Item statuimus, et ordinamus quòd rectores ecclesiarum parrochialium &c.* et in constitutione dicti domini Francisci, quae incipit: *Item quamvis dominus Petrus bonae memoriae &c.* latius continetur: verùm cum fuerimus veraciter informati quòd

dicti rectores reputantes dictam tricesimam partem etiam nimis magnam, non curabant reservare bona eorum; itaque tempore mortis ipsorum nulla, vel pauca bona invenibantur, et invenjuntur, multaeque propterea piae et laudabiles ordinationes ultimae ipsorum rectorum tollebantur et tolluntur; idcircò nos ad supplicationem rectorum nostrae dioecesis, volentes eis facere gratiam spetialem, de consilio et assensu praefati nostri capituli, tricesimam partem retentam per praedictum praedecessorem nostrum revocamus, et eam reducimus; ad id, videlicet, quod nos et successores nostri habeamus tantum à quolibet dictorum rectorum, et eorum successorum, et de bonis ipsorum mortis tempore eorundem, XIII. solidos monetae currentis in locis, seu villis ecclesiarum rectorum praedictorum. Quos XIII. solidos in signum universalis dominii nobis, et nostris successoribus retinemus. In aliis autem dictas constitutiones memoratorum praedecessorum nostrorum volumus in suo *robore* permanere.

Quòd rectores possint ordinare in suâ ecclesiâ cappellaniam, et anniversarium, et in ecclesiâ sepelliri.

Denique ad honorem ecclesiarum nostrae diocesis Dertusensis, et rectorum earundem, qui modo sunt, vel pro tempore fuerint, ordinamus de consilio, et assensu dicti nostri capituli, quòd si quis dictorum rectorum ordinare voluerit in suâ ecclesiâ cappellaniam perpetuam, aut perpetuum anniversarium, liceat hoc sibi, dum tamen cappellaniam dotet ad minus de quindecim libris perpetuis, et dictum anniversarium saltem de decem solidis censualibus perpetuis. Et valeat, si voluerit, in ipsâ ecclesiâ absque contradictione qualibet sepelliri in pavi-

mento ejusdem, sive tumulo, aut vaso, vel aliquo opere alio. Executores autem bonorum vel haeredes illorum rectorum qui ibi sepulti fuerint, teneantur et compellantur ipsius ecclesiae pavimentum propter hujusmodi sepulturam corruptum, sive destructum, reficere competenter.

Indictio et convocatio concilii provincialis Dertusensis, die X. Septembris ann. 1429 celebrandi.

EX ARCH. SEGOBR.

MONITUM.

Hoc concilium indixit cardin. Petrus de Fox, Martini V legatus, ad delenda penitùs praeteriti schismatis vestigia, quae Petro de Luna decedente, in successoris sui Aegidii Munnozii obedientiâ premere nonnulli infracto animo satagebant. Cessit pontificatui Aegidius apud villam S. Matthaei die XIV Aug. ann. 1429. Ejus rei acta, tum et concilii constitutiones edidit cardinalis de Aguirre. Deest tamen ibi convocatio synodi, quam modo ex autographo ad capitulum Segobricense misso, damus.

Petrus, miseratione divinâ tituli Sancti Stephani in Coelio Monte presbyter cardinalis, in regno Aragoniae et omnibus aliis partibus, insulis, civitatibus, terris et locis serenissimo principi domino Alphonso Aragonum regi illustri subjectis, à latere sedis apostolicae legatus, venerabilibus, et discretis viris, et capitulo Segobricen, salutem, et sinceram in Domino charitatem. Pridem sanc-

tissimus in Xpto. pater, et dominus noster dominus Martinus, divinâ providentiâ papa quintus, more pii patris considerans, quòd ecclesiae, monasteria, et quaevis alia pia loca in terris, et dominiis praefati domini regis constituta, nec non personae ecclesiasticae in illis degentes, occassione quorumdam scismaticorum, castrum Paniscolae tunc inhabitantium, in suis libertatibus laedebantur, nichil ardentius, nichil majore afectione desiderans, quàm ecclesias, monasteria, piaque loca, et personas ecclesiasticas in sui status liberâ amplitudine, sedemque apostolicam, quae omnium caput est, et magistra, in suâ auctoritate, pro praedictorum Paniscolensium, haeresumque et scismatum hujusmodi extirpatione, correctione, reformatione, et emendatione, ecclesiasticaeque libertatis reintegratione, ac nonnullis aliis praemissa concernentibus, nos ad terras, et loca hujusmodi legatum à latere ipsius sedis destinavit, constituit, et deputavit; mandando nobis, ut in ipsis evelleremus, destrueremus, aedificaremus, plantaremus, deformata reformaremus, et corrigenda corrigeremus, ac statueremus quicquid ad statum ecclesiarum, monasteriorum, et piorum locorum hujusmodi, et ad conservandam dictae sedis auctoritatem, et ecclesiasticam libertatem profuturum cognosceremus: conciliumque praelatorum exemptorum, et non exemptorum, et aliorum quorumcumque, prout nobis visum fuerit, convocaremus, et alia faceremus, quae in literis apostolicis super hoc confectis plenius continentur. Optantes igitur circa praemissa ex injuncti Nobis officii debito salubriter intendere, duximus ordinandum, ut in ecclesiâ Dertusensi pro praedictis, et aliis necessitatibus, tam universalis, quàm civitatum regni, terrarum, et locorum supradictorum ecclesiarum, monasteriorum, et piorum locorum hujusmodi statum concernentibus, deci-

mâ die proximè instantis mensis Septembris cum continuatione dierum sequentium, concilium cleri, regni, civitatum, terrarum, et locorum antedictorum celebremus. Idcircò discretionem vestram requirimus, et monemus, vobisque nichilominus districtius injungentes, quatenus ad praedictos locum et diem procuratorem idoneum cum sufficienti mandato ad ea, quae in dicto concilio agenda fuerint, sine defectu destinetis: qui sciat, et velit super praedictis, et aliis, quae ad laudem Dei, statumque ecclesiarum, monasteriorum, piorum locorum, personarum, ecclesiasticarum, et reipublicae pertinent, salubre consilium nobis dare, et qui procurationes non recipiat aliorum; ut cum ipsius et aliorum consilio ordinare possimus, quae sint Deo grata, dictisque ecclesiis, piis locis, et personis ecclesiasticis fructuosa existant. Dat. Calatajubii Tirasonen dioc. sub nostro sigillo rotundo, quo in praesentibus litteris uti volumus, cal. Augusti, pontificatus praefati domini nostri papae anno duodecimo.

ÍNDICE

DE LAS COSAS MAS NOTABLES.

Abderrahman III, quándo empezó á reynar, 155.

Adriano de Florencia, obispo de Tortosa, 108. Retuvo esta silla despues de electo papa, ib.

Adriano IV, cómo contó los años de la Encarnacion, 67, 68, 261. Sus bulas en favor de la iglesia de Tortosa, 256, 257. Sus contestaciones con el conde Don Ramon Berenguer, 31 y sig. Fue coetáneo y compañero de S. Olegario en el monasterio de S. Rufo, 265.

D. Agustin Espínola, obispo de Tortosa, 114. Fué trasladado á la silla de Granada, ib.

Alcuino, desaprobó el canon del IV concilio de Toledo sobre la única inmersion, 16, 17.

D. Alfonso, Marques de Prado, obispo de Tortosa, 113. Celebró un sínodo, ib. Fué trasladado á la silla de Cartagena, ib.

D. Alonso de Aragon, obispo de Tortosa, 106 y sig. Fué trasladado á la silla de Tarragona, 107.

Amazonas. Por qué se llaman así las mugeres de Tortosa, 168.

D. Fr. Antonio de Calcena, obispo de Tortosa, 108.

D. Antonio Josef Salinas, actual obispo de Tortosa, 118.

D. Arnal de Jardino, obispo de Tortosa, p. 91 y sig. Celebró dos sínodos, ib. 283 y sig. Otras memorias de su pontificado, 91, 92. Año de su muerte, 92. Epitafio de su sepulcro, 93.

D. Arnaldo de Lordato, obispo de Tortosa, 97. Sus constituciones 97, 309 y sig.

Barcelona. Quándo se restableció en su iglesia la vida reglar, 44, 45.

D. Bartolomé Camacho, obispo de Tortosa, 116. Año de su muerte, 117.

D. Berenguer, arzobispo de Tarragona, por quién fué asesinado, 83.

D. Berenguer de Prats, obispo de Tortosa, 95. Noticia de sus sínodos, 95 y sig. 297 y sig. Año de su muerte, 96. Su epitafio, ib.

D. Bernardo de Olivella, obispo de Tortosa, 90 y sig. Fué trasladado á Tarragona, 91.

D. Bernardo, obispo Caratense, gobernó la iglesia de Tortosa, 106.

D. Fr. Bernardo Oliver, obispo de Tortosa, 98. Memorias de su pontificado, ib. Su constitucion sobre la fiesta de S. Agustin, 314 y sig. Año de su muerte, 99.

D. Bernardo Velarde, obispo de Tortosa, 117. Fué trasladado á la silla de Zaragoza, ib.

Biblioteca. La de la catedral de Tortosa, quan copiosa es y exquisita, 170 y sig. MSS. que en ella se conservan, 171 y sig.

Cadáveres. Se lavaban antes de amortajarlos, 10.

Santa Candia. Su capilla en la catedral de Tortosa, 50, 52. Traslacion de su cabeza á este templo, 142, 143. Oficio de su festividad, 147 y sig.

Canónigos de Tortosa. Elegian los obispos de su iglesia, 75, 96, 98, 99, 100, 102, 104, 107. Cómo vestian en lo antiguo, 61 y sig. Sus actuales ropas de coro, 64, 65.

Celestino III. Confirmó las donaciones hechas á la iglesia de Tortosa, 272.

Cementerio. Hubole antiguamente en Tortosa, 57. Tuviéronle allí los templarios, 57, 58. Descripcion del nuevo, 58 y sig.

La santa Cinta. Reliquia de la catedral de Tortosa, 137 y sig. Memorias de su orígen, ib. Antigüedad de su fiesta, 140, 141. Su cofradía, 142. Capilla donde está colocada, 56, 115, 142. Quan de antiguo era llevada á las mugeres que iban de parto, 101, 140. Desde quándo se trae á la corte, 141, 142.

Clemente V. Su contestacion con los reyes de Aragon y de Francia sobre la causa de los templarios, 178 y sig. Por qué difirió un año la celebracion del concilio Vienense, 191. Su bula de extension de los templarios, 207 y sig.

Compostela. Quándo se restableció en su iglesia la vida reglar, 46.

Concilio Toledano IV. Estableció el rito de la única inmersion en el bautismo, 14, 15.

Congregacion de los Santos Justo y Rufo en Aviñon, 46, 47.

Conversos, húbolos en la santa iglesia de Tortosa, 42, 43.

S. Crescente mártir. Fué trasladado de Roma á Tortosa, 114.

D. Cristóbal Despuig. Escribió sobre las antigüedades de Tortosa, 1, 2. Paradero del original de su obra, 160. Disfrutóla Martorell, ib.

Cronicones antiguos hallados en la santa iglesia de Tortosa, 4, 232 y sig. 236 y sig. Otro del monasterio de Ripoll, 241 y sig.

D. Dalmacio de Monte Olivo, electo obispo de Tortosa, 93.

Esplugues, etimología de este apellido, 190.

D. Estéban, obispo de Tortosa, 100. Año de su muerte, ib.

Eugenio IV, aprobó las creaciones de cardenales hechas por el antipapa Félix V, 106.

Eunomianos, condenaban el rito de la trina inmersion, 17.

Extremauncion. Quando comenzó á administrarse á los enfermos antes del viático, 17, 18. Por qué tiempo y con qué ocasion se varió este rito, 18. Quándo comenzó á llamarse *extrema*, 19.

Felipe el Hermoso. Su contestacion con D. Jayme II de Aragon sobre la causa de los templarios, 176 y sig.

D. Fernando de Loazes, obispo de Tortosa, 109. Fue trasladado á Tarragona, ib.

Ferrer de S. Marti, obispo de Valencia. Se llamó *Pallarés*, 3. En qué dia fué muerto, ib.

Flabemont, monasterio de la Galia Bélgica, quándo se fundó, 252.

D. Francisco Aguilon y Sentis, electo obispo de Tortosa, 115.

D. Francisco Borrull, obispo de Tortosa, 117. Año de su muerte, ib.

D. Francisco Clemente Perez, obispo de Tortosa, 104. Fue trasladado á Zaragoza, ib.

D. Francisco de Monte Olivo, electo dos veces obispo de Tortosa, 99, 100. Fué promovido á la iglesia de Elna, 100.

D. Francisco de Paholaco, obispo de Tortosa, 94. Celebró dos sínodos, 94, 95, 293 y sig. Año de su muerte, 95.

Francisco Martorell. De qué materiales se aprovechó para su historia de Tortosa, 2.

D. Gaspar Punter, obispo de Tortosa, 111. Memorias que dexó en su iglesia, 111, 112. Año de su muerte, 112. Su epitafio, ib.

Gaufredo, primer obispo de Tortosa, 66 y sig. Traxo á esta iglesia las actas de S. Rufo, 127. Introduxo en ella la vida reglar del monasterio de S. Rufo, 128. Año y dia de su muerte, 74.

Gerona. Quándo se restableció en su iglesia la vida reglar, 45, 46.

D. Gerónimo de Requesens, obispo de Tortosa, 109. Año de su muerte, ib.

Gil Muñoz, antipapa, renunció su supuesto derecho, 105.

D. Gombal de Santa Oliva, obispo de Tortosa, 81 y sig. Año de su muerte, 85. Epitafio de su sepulcro, 86.

S. Gregorio M. Aprobó el rito de la única inmersion en España, 14.

D. Fr. Gregorio Parcero, obispo de Tortosa, 115. Año de su muerte, ib.

D. Guillermo de Sentmanat, electo obispo de Tortosa, 96. Por qué no fué confirmado, 97.

D. Guillermo de Torrelles, obispo de Tortosa, 101 y sig. Memorias de su pontificado, ib. Su sínodo, 102, 334 y sig. Año de su muerte, 102.

D. Guillermo Enchifort, obispo de Tortosa, 108. Fué cardenal, ib. Año de su muerte, ib.

Hacha. V. *Orden del Hacha*.

D. Hugo de Lupia y Bages, obispo de Tortosa, 103. Sus constituciones, ib. 341 y sig. Fué trasladado á la silla de Valencia, 103, 104.

Santa iglesia de Tortosa. Se intituló de Santa María, 121. Monumentos que quedan de su historia, 1 y sig. Estado de ella despues de conquistada la ciudad, 25 y sig. Si fué Parroquia de la de Tarragona, 27 y sig. Estableciόse en ella la vida reglar de S. Agustin, 36 y sig.

Quándo comenzó á decaer en ella el vigor de esta disciplina, 39. Secularizóla Clemente XIV, 40. Su hermandad con otras iglesias y personas particulares, 41 y sig. Su fábrica antigua y moderna, 48 y sig. Nulidades de su fachada, 55. Su biblioteca, 170 y sig. Códices que se conservan en su archivo, 3 y sig. Si los antiguos litúrgicos son del monasterio de S. Rufo, 4 y sig. Sus reliquias, 137 y sig. Sus alhajas, 144. Juntábase en su claustro el Consejo general, 167.

Imprentas ambulantes. Húbolas en España, 173, 174.

Inmersion. Quándo y por qué varió este rito en el bautismo la iglesia de occidente, 17.

Inocencio III. Su carta á los templarios de Emposta, 275 y sig. Otra á favor del obispo de Tortosa, ib.

Inscripciones, las romanas que se hallan en Tortosa, 149 y sig. Otras de la ínfima latinidad, 151. Copia y explicacion de una árabe, 154 y sig.

D. Fr. Isidoro Aliaga, obispo de Tortosa, 113. Fué trasladado á Valencia, ib.

D. Jayme Cyon, obispo de Tortosa, 99. Sus constituciones, ib. Año de su muerte, 100.

D. Jayme de Aragon, obispo de Tortosa, 100 y sig. Memorias de su pontificado, 101. Fué trasladado á la silla de Valencia, ib.

D. Jayme Miró. Su opinion acerca del orígen de la fiesta de S. Rufo en Tortosa, 126 y sig. 129 y sig.

D. Jayme II de Aragon. Su contestacion con Clemente V y con Felipe el Hermoso sobre los templarios, 176 y sig. Sus providencias en esta causa, 179 y sig. Defendió contra la curia romana la posesion que habia tomado de los bienes de aquella órden, 193 y sig. 206 y sig. 225.

D. Fr. Josef Fageda, obispo de Tortosa, 115. Año de su muerte, ib.

D. Juan Bautista Cardona, obispo de Tortosa, 110 y sig. Año de su muerte, y su epitafio, 111.

D. Juan Bautista de Campana, obispo de Tortosa, 115. Fué trasladado á la silla de Puzol en Nápoles, ibid.

D. Juan Bautista Perez. Su consulta sobre la fiesta de S. Rufo en Tortosa, 126, 129 y sig. Sus notas á las actas de S. Rufo, 135 y sig.

Juan Ciurana, electo obispo de Tortosa, por qué no llegó á consagrarse, 104.

D. Fr. Juan de Enguera, electo obispo de Tortosa, 107.

S. Juan de las Abadesas. V. *S. Juan de Ripoll*.

D. Juan Fabra, obispo de Tortosa, 100. Su sínodo, ib. 346 y sig. Fué trasladado á Carcasona, 100.

S. Juan de Malta. Quándo tomó posesion esta órden de los bienes de los templarios de Tortosa, 156, 157.

S. Juan de Ripoll, monasterio de canónigos reglares de S. Agustin, 76. Llámase ahora *S. Juan de las Abadesas*, ib.

D. Fr. Juan Izquierdo, obispo de Tortosa, 110. Su sínodo, ib. Año de su muerte, y su epitafio, ib.

Fr. Juan Lletger, qué parte tuvo en la causa de los templarios, 179, 182.

D. Juan Miguelez de Mendaña, obispo de Tortosa, 116. Año de su muerte, ib.

D. Juan Teres, obispo de Tortosa, 110. Fue trasladado á Tarragona, ib.

Jubileo. Rito de uno muy singular de la santa iglesia de Tortosa, 11 y sig.

Juicio del agua fria, qué era, 7, 19. Su rito, ib. 21. Quándo se estableció esta prueba, 19. Introdúxose en Aragon y Castilla, 20.

Juicio del hierro ardiendo. Su práctica y su rito en España, 20.

D. Justino Antolinez de Búrgos, obispo de Tortosa, 114. Año de su muerte, ib.

D. Luis de Cardona, electo obispo de Tortosa, 107.

D. Luis de Tena, obispo de Tortosa, 113. Hizo el relicario de la santa Cinta, 142. Año de su muerte, 114. Su epitafio, ib.

D. Luis García, obispo de Tortosa, 117. Fue trasladado á la silla de Zaragoza, ib.

D. Fr. Luis Mercader, obispo de Tortosa, 107.

Maranatá. Qué significa, 85.

Santa María de Ripoll, monasterio de benedictinos, 76.

Martin Bracarense, desaprobó que en España se hubiese adoptado el rito de la única immersion, 15, 16.

D. Fr. Martin de Córdoba, obispo de Tortosa, 109. Asistió al concilio Tridentino, ib. Fué trasladado á la silla de Córdoba, 110.

Martorell, corregido, 95, 166. De dónde tomó lo que escribe de Tortosa, 160.

Masdeu. Su etimología, 190.

Mendo, corregido, 168.

D. Miguel Cirera, electo obispo de Tortosa, por qué no fué consagrado, 103.

D. Miguel Macip. Escribió el episcopologio de la santa iglesia de Tortosa, 2. Hízole otros servicios literarios, ib.

Obispos. Quándo comenzáron á ser elegidos en España por el sumo pontífice, 97.

Orden de la Hacha. No fué órden militar, 170. Oca-

sion de su establecimiento, 158. Memorias que se conservaron de ella, 160 y sig.

D. Oton de Moncada, obispo de Tortosa, 105. Sus sínodos, 105, 106, 323 y sig. Otras constituciones suyas, 106. Asistió al concilio Basileense, 106. Fué creado cardenal, ib. Año de su muerte, ib.

D. Pedro Cortes, obispo de Tortosa, 117. Su renuncia, 118.

D. Pedro de Betteto, obispo de Tortosa, 93 y sig. Celebró dos sínodos, ib. 289 y sig. Su epitafio, 94.

Pedro de Fox, cardenal, presidió el concilio provincial de Tortosa, 105. Convocatoria que expidió para celebrarle, 365 y sig.

Pedro de Luna el antipapa, dexó algunas memorias en Tortosa, 104. Alhajas suyas que se conservan en esta iglesia, 145, 146.

D. Pedro de Luna, obispo de Tortosa, 104. Fué promovido á la silla de Toledo, ib.

D. Pedro de Luna II, obispo de Tortosa, 104.

D. Fr. Pedro Manrique, obispo de Tortosa, 112. Fué promovido á la silla de Zaragoza, ib.

D. Pedro II de Aragon. Concedió privilegio de inmunidad á las iglesias y monasterios de Tortosa, 273.

D. Ponce de Mulnells, obispo de Tortosa, 75 y sig. Si fué abad de S. Juan de Ripoll, 76, 77. Si conservó este título siendo obispo, 81. Memorias que dexó en su iglesia, 78 y sig. Año de su muerte, 80, 81. Epitafio de su sepulcro, 82.

D. Ponce de Torrella, obispo de Tortosa, 86 y sig. Ayudó al rey D. Jayme I en sus conquistas, 87, 88. Año de su muerte, 89. Epitafio de su sepulcro, ib.

Profesion. Baxo qué fórmula la hacian los canónigos de Tortosa, 38. Muestras de otras semejantes, 47.

Purgaciones vulgares. Qué eran, 19. Su uso y su abolicion en España, 20, 21.

D. Ramon Berenguer IV. Conquistó á Tortosa, 26. Hizo grandes donaciones á aquella iglesia, 31, 249 y sig. No se llamó rey sino príncipe, 252. Sus contestaciones con el papa Adriano IV. 31 y sig. 261, 263. Dónde y quándo murió, 70.

Regla de S. Agustin. Si es auténtica, 46. Quándo empezó á observarse, ib. Se estableció en la catedral de Tortosa y otras de España, 38, 46.

Reliquias las mas señaladas de la iglesia de Tortosa, 137 y sig.

Reservas pontificias. Quándo comenzáron en España, 97.

Ripoll. Consérvase en este valle un monasterio de canónigos reglares de S. Agustin, 76, 77. Cronicon que en él se ha encontrado, 241 y sig.

M. Risco, impugnado, 28, 29, 67, 76. Alabado, 79, 82.

Fr. Romeo de Zabrúguera. Tuvo parte en el proceso contra los templarios, 177, 180.

S. Rufo. Si fué obispo de Tortosa, 119 y sig. Si está enterrado en esta iglesia, 123 y sig. Orígen de su fiesta en ella, 126 y sig. Paradero de sus reliquias, 127, 128. Congregacion de este nombre en Francia, ib. Monasterios de S. Rufo en España, 128. Observaciones del obispo Perez sobre las actas de este santo mártir, 135 y sig.

Sepulturas. Su antigua distribucion en la catedral de Tortosa, 57.

D. Fr. Severo Tomas Auter, obispo de Tortosa, 116. Celebró dos sínodos, ib. Año de su muerte, ib.

D. Silvestre García Escalona, obispo de Tortosa, 116. Fué trasladado á Salamanca, ib.

Sínodos. Cómo se celebraban en la iglesia de Tortosa, 319 y sig.

Suprajunctarius en Aragon, qué era, 186.

Templarios. Quándo fue extinguida esta órden, 157, 181, 195. Delitos que se les imputáron, 176 y sig. Documentos para formar la historia de los de Aragon, 175 y sig. Libros que se encontráron á los de Daroca, 185, 200 y sig. Bula inédita de su extincion, 195, 207. Otra sobre lo que debia hacerse con ellos despues de extinguida esta órden, 196, 221 y sig. Sentencia del concilio provincial Tarraconense, favorable á los templarios, 196, 197.

Tortosa. Quándo y por quién fué conquistada, 26, 27. Tuvo silla episcopal durante la dominacion de los moros, 27. Inscripciones inéditas que en ella se conservan, 149 y sig.

Trina inmersion, 136. Antigüedad de este rito en el bautismo, 17. Quándo y por qué dexó de usarla la iglesia de España. 13 y sig. En qué tiempo y por qué causas fué restablecida, 17.

D. Victoriano Lopez, obispo de Tortosa, 118. Fue trasladado á la silla de Cartagena, ib.

Vida reglar. Observáronla algunas catedrales de España, 44 y sig.

Urgel. Quándo se restableció en su iglesia la vida reglar, 45.

Walafrido Estrabon, desaprobó que en España se hubiese dexado el rito de la trina inmersion, 16.

Zurita, enmendado, 88.